EXAMEN CONFESSARIORUM

SEU COMPENDIUM

THEOLOGIÆ MORALIS

PRO IIS QUI APPROBANDI SUNT

AD EXCIPIENDAS SACRAMENTALES CONFESSIONES

PER

AGNELLUM PORPORA

INSIGNIS COLLEGIATÆ S. JOANNIS MAJORIS CANONICUM
HUJUSQUE DIŒCESIS EXAMINATOREM

AD USUM SUÆ ACADEMIÆ DISPOSITUM.

EDITIO TERTIA

PERQUAM PERPOLITA ET AUCTA.

IN FINE ADDITUR R. D. JOSUE DE COSTANZO
EJUSDEM DIOECESIS EXAMINATORIS PRO-SYNODALIS
TRACTATUS DE MONIALIBUS.

VOLUMEN II.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA TRAMATER
Juxta Ecclesiam S. Joannis Majoris n.° 30.
MDCCCXXXII.

TRACTATUS VI.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Quoniam Theologicæ virtutes, sicuti diximus in præposita appendice num. 2. Deum ipsum immediate respiciunt; merito de istis secreto tractatu est nobis accurate disserendum. Cum autem possit Deus respici, vel ut summum verum, vel ut summum bonum erga nos, vel ut summum bonum in seipso, clare infertur, quod tres omnino sint Theologicæ virtutes, Fides nempe, Spes, et Charitas (a): Fides est, quæ ad Deum fertur ut summum verum; Spes, quæ ad Deum fertur ut summum bonum erga nos; Charitas demum, quæ fertur ad Deum ut summum bonum in seipso. Sit ergo

PARS I.

DE FIDE.

CAPUT I.

DE FIDEI NOTIONE, DIVISIONE, ET OBJECTO.

1. *Quid est Fides?*

Est virtus intellectualis divinitus infusa, qua veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis firmiter assentimur ob auctoritatem Dei revelantis (*).

(a) *Ex 1. Cor. 13. 13. et Trid. sess. 6. cap. 7.*

(*) Hinc certitudo fidei non potest stare cum opinione probabili de ipsa fide; nam ejus certitudo non pendet a determinatione intellectus, sed ab infallibili Dei revelantis auctoritate: quare merito ab Innoc. XI. fuit proscripta sequens 21. prop. *Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.*

2. *Quotuplex est fides ?*

Multiplex est: 1. habitualis, et actualis: prima est ipsamet virtus fidei animæ permanenter inhærens, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum omnibus a Deo revelatis: altera est ipse actus, seu exercitium fidei, nempe assensus firmus veritatibus revelatis præstitus. 2. Alia est viva seu formata, quæ nempe cum caritate est conjuncta, et per illam operatur: alia vero est mortua et informis, illa nempe, quæ charitate est destituta.

3. *Quotuplex esse potest fides actualis ?*

Multiplex: et 1. alia est explicita, alia implicita: explicita dicitur, quando aliqua veritas expresse creditur; v. g. Deus est unus, et trinus; Christus est Filius Dei etc. implicita est, qua veritatibus revelatis generatim credimus; seu aliquid explicite credimus, in quo aliud implicite continetur; v. g. Credo omnibus, quæ in Evangelio continentur: Credo quæ credit Ecclesia. 2. Alia est exterior, quæ per verba aliave signa exterius manifestatur: et alia est interior, quæ nempe tantum interius concipitur, et completur.

4. *Quodnam est objectum fidei ?*

Objectum formale est Dei revelantis infallibilis auctoritas: objectum vero materiale est Deus, et omnia a Deo revelata.

5. *Quomodo innotescunt nobis, quæ sint a Deo revelata?*

Per Ecclesiæ propositionem: Ecclesia enim est organum et instrumentum, quo usus est Deus ad patefacienda hominibus arcana divina.

CAPUT II.

DE FIDEI NECESSITATE.

6. *Fides estne ad salutem necessaria ?*

Maxime, uti habetur ex Marci cap. ult. 16. *Qui vero non crediderit, condemnabitur;* et ex Apost. ad Hebr. 11. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.*

7. *Quænam fides est necessaria habitualis, an etiam actualis ?*

Omnibus, etiam infantibus necessaria est necessitate medii,

et quidem absolute, seu in re fides habitualis (*b*). Adultis vero præter fidem habitualem necessaria est etiam necessitate medii, et absolute fides actualis (*c*).

8. Talis fides actualis necessitate medii ad salutem necessaria debet esse explicita, an sufficit implicita?

Circa aliquas veritates debet esse explicita: circa alias vero sufficit implicita.

9. Quænam veritates explicite credendæ sunt?

Sequentes: 1.° quod Deus existat, et remunerator sit, ex Apostolo ad Hebr. 11. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit:* quod patet etiam ex Trid. sess. cit. cap. 7. et ex prop. 22. ab Innoc. XI. proscripta (*). 2.° Post sufficientem Evangelii promulgationem Redemptionis mysterium: scilicet Filii Dei incarnatio, passio, mors, et resurrectio pro hominis reparatione: quod patet ex Joann. cap. 8. et ad Galat. cap. 2. et ex Trid. sess. cit. cap. 6. 3.° Mysterium Trinitatis; nam sine fide Trinitatis haberi non potest explicita Incarnationis fides; et eruitur etiam ex Matth. cap. ultimo 19. ubi Christus Dominus ait: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (** 1).

10. Fides estne etiam necessaria necessitate præcepti?

Maxime, et patet ex Marci cap. 1. 15. *Credite Evangelio*, ex Trid. sess. 6. cap. 6. et ex prop. 16. damnata ab Innoc. XI. (***)

11. Est divinum hoc præceptum, an ecclesiasticum?

Est divinum quoad substantiam; quoad determinationem vero est ecclesiasticum, scilicet quod Ecclesia definire debeat,

---

(*b*) *Trid. sess. 6. cap. 7.* (*c*) *Ex eodem Trid. sess. cit. cap. 6.*

(*) Verba erant: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

(**) Eruitur etiam ex prop. 64. ab Innoc. XI. damnata: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

(1) Quæ quidem mysteria, nempe Incarnationis et Trinitatis, explicite sunt credenda necessitate medii, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, *D. Thom. in 3. disp. 25. q. 2. a. 1. q. 1. ad 2. et alibi.*

(***) Quæ ajebat: *Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, et secundum se.*

quænam sint veritates a Deo revelatæ, et quonam modo debeant fideles se in fide exercere.

12. Hoc præceptum est affirmativum, an negativum?

Est affirmativum et negativum simul; tenemur enim credere mysteria a Deo revelata, et nunquam possumus dissentire, vel de illis dubitare.

13. Quænam veritates explicite sunt credendæ ex necessitate præcepti?

Præter eas, quæ credendæ sunt fide actuali ex necessitate medii, uti diximus, tenemur credere, proindeque scire 1. quæ continentur in Symbolo Apostolorum. 2. Orationem Dominicam. 3. Præcepta Decalogi. 4. Sacramenta, et clara habenda est notitia præcipue de illis Sacramentis, quæ recipiuntur. 5. Præcepta Ecclesiæ. 6. Ex pia consuetudine Angelicam Salutationem.

14. Hæc omnia quoad substantiam tantum sunt scienda, an etiam quoad ordinem et formulam?

Sub gravi quoad substantiam; sub levi quoad ordinem et formulam, uti ajunt Theologi (*).

15. Tenemurne ex hoc præcepto actum fidei elicere?

Maxime, uti colligitur ex pluribus Scripturæ locis (*d*): et pluribus damnatis propositionibus ut infra: tenemur autem aliquando per se, seu directe, aliquando per accidens, seu indirecte.

16. Quando dicitur per se, seu directe; quando per accidens, seu indirecte?

Dicitur per se, sive directe, quando ipsa fides obligat ad hunc actum eliciendum, ita ut, si omittitur, committatur speciale peccatum contra fidem: dicitur autem per accidens, sive indirecte, quando non virtus fidei, sed alia virtus obligat ad hunc actum, quem si quis omittat, non committit speciale peccatum contra fidem, sed contra illam virtutem, quæ actum fidei imperat.

(*) Confessarius omnino non absolvat pœnitentem, qui ignorat rudimenta necessaria necessitate medii, nisi prius ea didicerit. Item est de necessariis necessitate præcepti: potest tamen quandoque pœnitens absolvi, si vere promittit addiscere ista de necessitate præcepti. Confessarius ipse, si opus est, tenetur pœnitentem ista docere.

Omnia dicta valent etiam de actibus fidei, spei, et charitatis.

(*d*) *Marc. 1. 15. Rom. 1. Galat. 3. etc.*

17. *Quandonam per se et directe eliciendus est actus fidei?*

1. Quando quis ad usum rationis pervenerit. 2. In quolibet probabili mortis periculo. 3. Quando urget gravis contra fidem tentatio, quæ superari nequit, nisi per actum fidei. 4. Quando quis in aliquem errorem, vel dubitationem voluntariam contra fidem lapsus sit. 5. Denique sæpe in vita.

18. *Quandonam per accidens et indirecte habendus est actus fidei?*

1. Si gravis urget tentatio contra aliquam virtutem, et superari non posse videtur, nisi per actum fidei. 2. Quando eliciendi sunt actus spei, charitatis etc. 3. Quando actus fidei requiritur ad justificationem. Sed in hisce omnibus sufficit fides virtualis.

19. *Quid denotat illud* sæpe in vita *?*

Aliqui intelligunt de singulis diebus festis: alii semel in anno: alii denique rationabilius censent de festis principalibus (2).

20. *Sufficitne actum fidei elicere semel in vita?*

Minime sufficit, uti patet ex pluribus propositionibus proscriptis (*).

21. *Daturne præceptum divinum fidem exterius profitendi?*

Maxime; constat ex illo ad Rom. 10. 10. *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem* (**).

22. *Hoc præceptum est affirmativum, an negativum?*

Est affirmativum et negativum simul: affirmativum, quo jubemur fidem data occasione profiteri: negativum, quo prohibemur fidem unquam verbo, signo, aut simulatione negare.

23. *Quandonam obligat prout affirmativum?*

Obligat etiam cum periculo vitæ semper ac per omissionem

---

(2) Per aliquos Theologos satis fit hujusmodi præcepto per exercitium aliarum virtutum, quæ fidem supponunt; e. c. suscipiendo Sacramenta, Missam audiendo, adorando Crucifixum, formando Crucem, orando etc. nam, ajunt, hi actus sunt vere actus fidei, cum radicaliter ex motivo fidei oriantur.

(*) Prop. 1. ab Alex. VII. proscripta: *Homo nullo unquam tempore vitæ suæ tenetur elicere actum fidei, spei, et caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Prop. 17. ab Innoc. XI. damnata: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Prop. 65. ab eodem Pontif. *Sufficit illa mysteria Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis semel credidisse.*

(**) Idem habetur Matth. 10. Luc. 9. etc. idemque docet D. Augustinus lib. de Fide et Symb. cap. 1. et serm. 279. de Apost. Paulo.

exterioris fidei professionis subtrahitur honor Deo debitus, vel timetur proximi ruina: ex D. Thoma (e ✠).

24. *Peccatne ille, qui de fide interrogatus, illam non confitetur?*

Vel est interrogatus a publica potestate, et peccat; nam fidem occultando subtrahit honorem Deo debitum, et constat ex prop. 18. ab Innoc. XI. damnata (*). Vel est interrogatus a persona privata, et dico non peccare, dummodo non subtrahitur honor Dei, nec proximi habetur ruina; quia persona privata non habet jus interrogandi.

25. *Licetne fideli infidelium vestibus vel signis uti ad fidem occultandam?*

Si vestes vel signa professiva sunt falsæ sectæ, non licet; quia revera fides exterius negatur: si vero sunt indifferentia, licet, stante justa causa.

26. *Quisnam ex Ecclesiæ præcepto tenetur fidem exterius profiteri?*

Tenetur 1.° qui recipit beneficium curatum intra duos menses a die possessionis, sicuti etiam qui recipit canonicatum, vel dignitatem in Cathedralibus; ex Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. 2.° Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi in prima synodo provinciali; ex eod. Trid. sess. 25. de reform. cap. 2. 3.° Omnes Prælati ordinum regularium, etiam militarium, dum ad prælaturam ascendunt, ex constit. Pii IV. *Injunctum nobis*. 4.° Denique omnes doctores, regentes, concionatores, magistri, etiam cujuscumque artis liberalis, ex constit. ejusdem Pontificis *In sacrosancta*.

CAPUT III.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

27. *Quodnam est vitium fidei oppositum?*

Infidelitas: quæ est carentia fidei.

(e) 2. 2. q. 3. a. 2. in corp.

(✠) Sic esset ad vitandum rerum sacrarum contemptum, injurias contra fidem prolatas, proximi scandalum etc. modo profectus inde spernetur.

(*) *Si a potestate publica quis interrogatur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

28. *Quotuplex esse potest infidelitas?*

Triplex esse potest, negativa, privativa, et contraria, seu positiva: prima est carentia fidei in eo, qui de fide nihil unquam sufficienter audivit: secunda est carentia fidei in eo, qui vel fidem non vult audire, vel fidei sufficienter propositæ non assentitur: tertia est in eo, qui fidem sufficienter propositam vel contemnit, vel contradicit, aut aliquem errorem contra fidem admittit.

29. *Infidelitas estne peccatum?*

Negativa non est peccatum, sed peccati pœna; quia non est voluntaria, quod patet ex prop. proscripta Baii (3). Privativa, et a potiore contraria est peccatum grave contra fidem; cum sit summæ veritatis revelantis voluntarius contemptus (*).

30. *Quot sunt species infidelitatis contrariæ?*

Sunt tres, Paganismus, Judaismus, et Hæresis. Primus repugnat fidei nondum susceptæ: ad illum reducitur Atheismus, et Muhamethismus. Alter repugnat fidei in typo susceptæ, et est Hebræorum, qui Christum advenisse negant. Postrema repugnat fidei in re susceptæ; ad hanc reducitur Apostasia a fide, et Schisma non purum.

SECTIO I.

DE HÆRESI.

31. *Quid est Hæresis?*

Est error intellectus voluntarius et pertinax contra aliquam fidei veritatem in eo, qui fidem recepit (*f*).

32. *Quotuplex esse potest hæresis?*

Multiplex esse potest: 1. alia est materialis, alia formalis: materialis dicitur, quando quis aliquid ob ignorantiam credit vel profert contra fidem sine interna pertinacia: formalis est error vo-

---

(3) Relege dicta in 1. tract. num. 45.

(*) Hic nota ab Innoc. XI. proscriptam fuisse proposit. 4. sic expressam: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Nam quæcumque probabilitas non potest stare contra fidei certitudinem, quæ infallibilis est.

(*f*) *Ex can.* Sicut 2. *dist.* 15. *cap.* Cum Christus 7. *de hæret.*

luntarius, et pertinax. 2. Alia est interna, alia externa: prima est, quæ mente tantum retinetur sine ulla externa manifestatione: quod si aliquo verbo vel signo exterius manifestetur, dicitur externa. 3. Externa dividitur in occultam, et manifestam: occulta, si externatur, nemine vidente et audiente: manifesta dicitur, quando coram aliis manifestatur.

33. *Quot conditiones requiruntur ad hæresim formalem?*

Error intellectus contra fidem, et pertinacia voluntatis (*g 4* ✻).

34. *Dubius in fide estne hæreticus?*

Maxime, quidquid aliqui dicant, quando dubium est deliberatum, et affirmativum, uti habetur ex cap. 1. de hæretic. *Dubius in fide infidelis est*, et alibi (*h*).

35. *An sit hæresis error ortus ex ignorantia culpabili?*

Non est hæresis (etsi ignorantia sit affectata juxta probabiliorem sententiam) quoniam non habetur contumacia.

36. *In quas pœnas incidunt hæretici?*

Incidunt in excommunicationem Papæ reservatam; irregularitatem; privationem jurisdictionis spiritualis, si hæreticus sit nominatim denuntiatus; privationem dignitatum, beneficiorum, et officiorum etiam rite acquisitorum; inhabilitatem ad alia obtinenda; privationem sepulturæ ecclesiasticæ; et infamiam juris, modo sit hæreticus notorius; et in pœnam denuntiationis (*i**).

37. *Quinam hæretici hasce incurrunt pœnas?*

Non materiales; quia revera non sunt hæretici: non formales interni; quoniam de internis non judicat Ecclesia: sed formales externi, etsi occulti; quia per accidens sunt occulti.

(*g*) *Can.* Dixit Apostolus 29. *et* Qui in Ecclesia 31. *caus.* 24. *q.* 3. *et cap.* Damnamus 2. *de Summa Trinitate.*

(*4*) Obtinet pertinacia, cum quis scit contrarium teneri ab Ecclesia; vel errorem retinet postquam contrarium est ei sufficienter propositum.

(✻) Quare non est hæreticus 1. qui exterius tantum fidem negat: 2. qui paratus est suum Ecclesiæ submittere judicium, aut nescit contrarium ab Ecclesia teneri: 3. qui est dispositus suo ab errore discedere, si sciret esse fidei contrarium.

(*h*) *Symbolo S. Athan. D. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. *et q.* 11. *a.* 1. *in corp.*

(*i*) *Innumer. jur. loc.*

(*) De jure civili omnes, qui docendo, prædicando, aut in publico concionando, aliquid contra fidem impio fine proferunt, perpetui exilii extra regnum pœna plectuntur [*art.* 100. *p.* 2.]

38. *Quænam conditiones requiruntur, ut hæretici formales externi in pœnas incidant?*

Sequentes: 1. ut hæresis sit externata sufficientibus verbis, vel signis: 2. ut actio, per quam externatur hæresis, sit mala; 3. ut fiat causa profitendi errorem.

39. *Hæreticus, quia excommunicatus, estne vitandus?*

Minime, quando non est nominatim denuntiatus; quamvis sit declaratus et condemnatus uti hæreticus.

40. *Prælatus Regularis potestne absolvere in foro conscientiæ aliquem hæreticum?*

Minime potest absolvere quem non subditum, uti patet ex prop. 4. proscripta ab Alex. VII. (*) Idem dicendum de subdito; quia si non potest Episcopus, uti dicetur in tract. XI. num. 191. potiori ratione non potest Prælatus Regularis.

41. *Contra quos alios extenditur hæc excommunicatio?*

Extenditur etiam contra hæreticorum fautores, defensores, receptores, eis credentes (*k*).

42. *Quinam tenentur hæreticos denuntiare?*

Omnes utriusque sexus, cujuscunque conditionis, dignitatis etc. qui sciunt, illos esse hæreticos, quamvis sciant sub secreto, juramento etc. quia agitur de communi Religionis bono (*l*).

43. *Estne præmittenda correctio fraterna?*

Minime, et patet ex decr. Alex. VII. *Licet alias.*

44. *An sit denuntiandus hæreticus, quando ejus delictum probari non potest?*

Maxime; quia ad denuntiationem non requiritur probatio: patet etiam ex prop. 5. ab Alex. VII. proscripta (**).

45. *Teneturne hæreticus denuntiare seipse?*

Minime; nemo enim tenetur prodere seipsum.

(*) *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excomm. propter eam incursa.*

(*k*) *Plur. jur. can. loc.*

(*l*) *Edict. supremæ Inquisit. 3. Januar. 1623. et 10. Mart. 1677. ac decr.* Licet alias *Alex. VII.*

(**) Hæc ajebat: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

46. *An teneatur denuntiare complicem suum?*

Si complex est dogmatizans, tenetur etiam cum periculo vitæ; agitur enim de bono publico fidei: aliter quæstio est.

47. *Teneturne filius patrem hæreticum denuntiare, frater fratrem etc?*

Si sunt dogmatizantes, tenetur; quia prævalet bonum commune: aliter quæstio est.

48. *An sit quis obligatus hæreticum denuntiare cum periculo notabilis damni proprii?*

Maxime, si sint dogmatizantes; nam damno privato publicum vitare debemus: et probabilius, etsi non sint dogmatizantes, ex eadem ratione.

49. *Estne denuntiandus hæreticus mortuus?*

Affirmative, ut possit superior inquirere, utrum iste aliquid reliquerit de sua hæresi, ut puta scripta, discipulos etc.

50. *An impeditus teneatur denuntiare?*

Maxime, et quidem per alium, si impedimentum est perpetuum: si vero impedimentum est temporale, potest differre denuntiationem, quoadusque cesset impedimentum; dummodo non adsit periculum in mora.

51. *Cuinam denuntiandus est hæreticus?*

Inquisitoribus, si adsint: alias Ordinario loci, in quo denuntiandus actu existit, vel ubi commisit delictum, vel ubi moratur denuntians. Episcopi, Nuntii, Legati Apostolici sunt S. Sedi denuntiandi.

52. *In quam pœnam incidit, qui obligatus non denuntiat?*

In excommunicat. Papæ reservatam, si infra mensem a die scientiæ suæ obligationis non denuntiat (*m 5*).

53. *Utrum sit sub eadem pœna denuntiandus suspectus de hæresi?*

Affirmative, uti habetur ex cit. decr. Alex. VII. At suspecti de hæresi non sunt tanto rigore denuntiandi, sicut hæretici,

---

(*m*) *Ex var. pontific. constitut. et Inquisition. decr.*

(5) Probabile est excommunicationem non amplius esse reservatam post impletam denuntiationem, uti eruitur ex edicto S. Inquisitionis 10. Martii 1677.

Dicunt DD. hoc valere pro Hispaniis tantum: in aliis regionibns hanc excommunicationem esse ferendæ sententiæ, et quæstionem esse, utrum sit reservata. Adi B. A. Ligorium lib. 4. num. 254. in fine.

54. Quinam in jure dicuntur suspecti de hæresi?

1. Fautores, defensores, receptatores hæreticorum. 2. Legentes sine legitima facultate, retinentes, imprimentes libros hæreticorum de hæresi vel de religione tractantes, vel libros Necromantiæ, aut Astrologiæ judiciariæ, Cabalisticos, et Talmudicos, aut Alcoranum Basileæ editum. 3. Proferentes deliberate blasphemias hæreticales. 4. Sacras imagines lædentes, vel rebus sacris, aut Scripturæ verbis abutentes. 5. Apostatæ a fide externi tantum, et materiales. 6. Docentes vel defendentes aliquam ex propositionibus ab Ecclesia damnatis. 7. Insurdescentes per annum in excommunicatione majore. 8. Voluntarie omittentes annuam confessionem, vel communionem paschalem. 9. Edentes carnes diebus prohibitis. 10. Matrimonium contrahentes, vivente priore conjuge, vel cum solemni voto castitatis. 11. Malitiose frangentes sigillum Sacramentale, si tamen putant istud esse licitum. 12. Non Sacerdotes Missam celebrantes, vel sacramentaliter confessiones audientes, vel alia Sacramenta conficientes. 13. Sacerdotes in Missa non consecrantes. 14. Sacerdotes intuitu confessionis sollicitantes. 15. Confessarii ab onere denuntiationis deobligantes, cum sit facienda. 16. Absolventes complicem in re turpi. 17. Sortilegi, Malefici, superstitionibus utentes, Astrologi judiciarii, et omnes ope dæmonis utentes. 18. Lacerantes cedulones ab Ecclesia affixos; et alii, uti habetur ex pluribus juris canonici locis (6).

55. An peccent, et in aliquam pœnam incidant accedentes ad cœtus hæreticorum?

Peccant graviter ob periculum subversionis, * et incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, prout habetur ex 1. casu in tabella, quoties hæreticorum exercitiis, quovis prætextu et occasione, etiam simplicis curiositatis, assistunt.

56. Quot conditiones requiruntur ad hunc casum incurrendum?

Duæ: 1. ut fidelis adeat, et assistat: 2. ut in cœtu exerceantur conciones, catechismi, aut alii ritus hæreticorum.

57. An ille, qui non adit cœtum, sed tantum e propinquo loco aspicit ritus etc. hæreticorum, incurrat casum?

Probabilius incurrit; nam assistentia est principaliter pro-

(6) At omnes isti sunt denuntiandi, quum vere dant indicium suspectæ fidei.

hibita, et adire cœtum est medium: et qui de propinquo aspicit, revera assistit.

58. Qui adit cœtum, et non assistit, vel non intelligit ritus, conciones etc. inciditne in casum?

Non incidit in hunc casum tabellæ; quia non habetur vera assistentia ad casum incurrendum requisita: sed incidit in excommunicationem in corpore Synod. part. 1. cap. 1. de Fide.

59. Quid si ritus non sint expresse ab Ecclesia damnati?

Etiam assistentes incidunt in casum, uti patet ex ejus verbis (7).

SECTIO II.

DE APOSTASIA, ET SCHISMATE.

60. *Quid est Apostasia?*

Apostasia triplici sensu accipi potest, alia est a fide, alia a religione, et alia ab ordine (*n*). Apostasia a fide est recessus a tota fide Christiana, quam quis per baptismum recepit. Apostasia a religione, seu ab ordine religioso, est criminosa recessio ab ordinis religiosi instituto, cum proposito non amplius ad religionem redeundi. Apostasia ab ordine est, quando quis sacris ordinibus insignitus ad statum sæcularem, dimisso habitu, se transfert.

61. In quas pœnas incidunt apostatæ?

Apostatæ a fide in excommunicationem, et in omnes alias pœnas, quas incurrunt hæretici; quia sunt veri hæretici, imo nequiores, cum omnem abjiciant fidem (*o*). Apostatæ a religione, demisso habitu, incurrunt excommunicationem nemini reservatam (*p*); (in eandem excomm. incidunt Religiosi, qui criminose

---

(7) Ex can. *Nullus* 13. et *Omnes* 14. caus. 28. q. 1. ex cap. *Judæi* 5. et *Ad hæc* 8. de Judæis interdicta est Christianis cum Judæis communicatio sub pœna depositionis ferendæ sententiæ pro Clericis, et excommunicationis etiam ferendæ sententiæ pro laicis. Vide sis B.A. Lig. lib. 2. tract. 1. num. 18. et Laym. lib. 2. tract. 1. cap. 17.

Nota. Omnes hæretici errorem abjurare tenentur, ut possint Ecclesiæ reconciliari, *can.* Si qui *8. ac* Donatum *20. caus. 1. q. 7.*

(*n*) *Commun. cum D. Thom. 2. 2. q. 12. a. 1. in corp.*

(*o*) *Cap.* Contra Christianos *13. de hæreticis in 6.*

(*p*) *Cap.* Ut periculosa *2. Ne Clerici vel Monachi etc. in 6.*

dimittunt habitum, etiam pro prima vice) et si in apostasia recipiant ordines sacros, incidunt in suspensionem ab eis Papæ reservatam (q); et durante apostasia privati existunt privilegiis suæ Religionis (r): Apostatæ ab ordine incidunt ipso jure in infamiam (s); et si moniti non resipiscant, amittunt privilegium clericale, et sunt deponendi (t).

62. *Recipientes apostatas inciduntne in aliquam pœnam?*

Recipientes apostatas a fide incidunt in excommunicationem Papæ reservatam, tanquam receptatores hæreticorum. Recipientes apostatas a religione incidunt in eandem excommunicationem ex bulla Pauli V. *Postquam*, aliisque pontificiis constitutionibus.

63. *Quid est Schisma?*

Est voluntaria separatio ab Ecclesiæ unitate.

64. *Quotuplex est Schisma?*

Duplex, purum, et non purum, seu mixtum: purum, si cum nullo contra fidem errore conjunctum sit: non purum, si cum aliquo errore conjungatur.

65. *In quas pœnas incidunt Schismatici?*

Schismatici puri incidunt in excommunicationem Papæ reservatam, privationem jurisdictionis ecclesiasticæ, irrita est collatio beneficii ecclesiastici eis facta, et incurrunt etiam irregularitatem, si sint notorii (u): schismatici vero non puri incidunt etiam in omnes alias pœnas contra hæreticos latas.

66. *An eorum fautores, receptatores, defensores incidant in aliquam pœnam?*

Si sunt schismatici puri, eorum fautores etc. incidunt in excommunicationem nemini reservatam, ex const. Pauli IV. *Cum Apostolatus*: si vero sunt non puri, eorum fautores incidunt in excommunicationem Papæ reservatam, uti fautores etc. hæreticorum.

(q) *Cap.* Consultationi *final. de apostat.*
(r) *Trid. sess. 25. de regular. etc. cap. 19.*
(s) *Can.* Si quis. *3. caus. 3. q. 4. et cap.* Tuæ fraternitati *3. de apostat.*
(t) *Cap.* Præterea *1. de apostat. et alibi.* (u) *Ex var. canon.*

SECTIO III.

DE LECTIONE LIBRORUM PROHIBITORUM.

67. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti?*

Sunt triplicis generis: alii sunt auctoris hæretici, et tractant de Religione (8), vel hæresim continent: alii sunt auctoris catholici, sed continent aliquem errorem, vel dant suspicionem de hæresi etc. alii denique tractant de obscenis, de magicis, vel de aliis similibus.

68. *In quam pœnam incidunt legentes libros prohibitos?*

Legentes libros primi generis incidunt in excommunicationem Papæ reservatam, dummodo legant scienter, et in notabili materia: in eandem pœnam incidunt illi, qui scienter hosce libros retinent (9), imprimunt, vel ad impressionem proxime cooperantur, vel quomodocumque defendunt etc. ex bulla Cœnæ (10). Legentes libros de astrologia judiciaria, vel de divinatione tractantes ex bulla Sixti V. *Cœli, et terra:* aut libros Talmudicos ex bulla Clem. VIII. *Cum Hebræorum*, aut Alcoranum Basileæ impressum etiam incidunt in excomm. Papæ reservatam. Legentes libros secundi generis incurrunt excommunicationem nemini reservatam; quæ pœna extenditur ad legentes libros hæresiarcarum, quamvis de errore vel de Religione non tractent; et ad legentes ceteros libros indicis, qui sunt hæreticorum, aut ob erroris suspi-

---

(8) Nempe de Sacra Scriptura, aut de Theologia, aut de Canonibus, Ritibus Ecclesiæ, aut aliis rebus similibus.

(9) Sive nomine proprio, sive nomine alterius, puta in deposito, commodato, pignore etc. Sic etiam qui librum suum alteri tradit ad tenendum, retento sibi dominio: excipitur tamen a B. Ligorio, si quis alteri licentiam habenti librum tradit cum expresso pacto non repetendi, nisi post obtentam licentiam, vel post expurgationem; aut absolute donat sub conditione, ut ipsi donanti restituatur, si deinde licentiam obtinebit.

Retinentes per breve tempus, puta uno vel altero die, ab excomm. excusantur; ita communiter. Sic etiam juxta plures excusatur, qui diu retinet, expectans tamen tempus opportunum librum tradendi Superiori, vel habenti licentiam.

(10) Quæstio est, utrum excommunicationem incurrat qui legit hæretici concionem, aut epistolam seorsim editam. Probabilius incurrit, qui legit hæretici manuscripta.

tionem sunt damnati: idem dic de iis, qui retinent, imprimunt, vel defendunt hosce libros. Qui autem legunt, vel imprimunt etc. libros tertii generis peccant tantum.

69. *Quænam materia requiritur ad incurrendam excommunicationem?*

Multi de hac materiei quantitate multa dicunt: aliqui volunt esse paucos versiculos: alii paginam brevem, alii longam etc. At quævis materia est gravis, si in ea continetur error, ob quem liber fuit prohibitus.

70. *An in pœnam incidant legentes libros catholici auctoris cum adnotationibus hæretici?*

Litigium est: alii volunt incidere in excommunicationem; quia adnotationes sunt opus hæretici: alii vero negant; quia auctor libri est catholicus.

71. *Incurritne pœnam, qui libros hosce legit, et non intelligit?*

Alii affirmant; nam si retinentes tantum incurrunt pœnam, a fortiori legentes, et non intelligentes. Alii negant, quia in pœnis stricta facienda est interpretatio.

72. *Qui non legit ipse librum, sed alteri tradit legendum, ut ipse audiat, utrum incidat in pœnam?*

Maxime, omissa contraria opinione; nam qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum (*x 11*).

73. *Potestne quis libros prohibitos retinere donec expurgentur?*

Minime; quia retinet interea libros prohibitos, et patet ex prop. 45. proscripta ab Alex. VII. (*)

74. *Quinam potest concedere licentiam legendi, retinendi etc. libros prohibitos?*

Ex const. Greg. XV. *Apostolatus officium* tantum Congregatio S. Officii, vel Congregatio Indicis, vel Magister Palatii Apostolici pro Roma ejusque districtu (*12*).

(x) *Regul. juris* Qui facit 72. *in 6.*

(*11*) Communius et probabilius excommunicatione non irretitur, qui legentem simpliciter audit.

(*) *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.*

(*12*) Ex bulla *Cum meditatio* Julii III. expresse vetatur libros prohibitos lacerare aut comburere; sed Inquisitoribus, aut Episcopo sunt deferendi.

PARS III.

DE SPE.

CAPUT UNICUM.

DE SPEI NOTIONE, NECESSITATE etc. ET DE VITIIS HUIC VIRTUTI OPPOSITIS.

75. *Quid est Spes?*

Est theologica virtus divinitus infusa, qua desideramus, et cum certa fiducia expectamus Deum summum Bonum in cœlesti patria adipiscendum, et media ad illum assequendum ex gratia, et meritis.

76. *Quotuplex est spes?*

Alia est habitualis, nempe ipsemet habitus inclinans divinitus infusus; alia actualis, seu actus etc. uti diximus de fide num. 2. Idem dic de Spe formata, et informi etc. ibi num. 3.

77. *Quodnam est objectum spei?*

Objectum materiale est ipse Deus, et omnia bona tam spiritualia, quam temporalia in ordine ad Deum: objectum formale est idem Deus bonus suæ creaturæ, omnipotens, et in promissionibus fidelis.

78. *Daturne præceptum speciale spei?*

Maxime, et præcipue habetur ex Apostolo 1. Timoth. 6. 17. *Præcipe .... neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo etc.* (13)

79. *Quot sunt vitia spei opposita?*

Sunt duo, Desperatio, et Præsumptio.

(13) Utrum sit affirmativum vel negativum hoc præceptum, et quandonam obliget, idem tene, quod diximus de fide num. 12. 13. 16. 17. 18. 19. et 20.

80. *Quid est desperatio?*

Desperatio est voluntas efficax, qua quis abjicit omnem spem consequendi æternam salutem ex divina misericordia. Hæc per defectum spei opponitur.

81. *Quid est præsumptio?*

Est inordinata confidentia salutem æternam consequendi vel sine gratiæ divinæ adjutorio, vel sine meritis et bonis operibus. Hæc opponitur spei per excessum.

82. *Desperatio et præsumptio suntne peccata gravia?*

Maxime, et semper: nam in sensu exposito non possunt habere nisi gravem materiam (14).

---

(14) Præsumptionis species dici potest tentatio Dei. Hæc est dictum vel factum, quo quis explorat num Deus sit potens, sapiens, misericors, aliamve habeat perfectionem, *D. Thom. 2. 2. q. 97. a. 1. in corp.* Esse potest formalis, vel implicita sive interpretativa. Prima est, cum quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri vult: v. c. si quis miraculum petat ad cognoscendum veram esse Religionem Catholicam etc. Altera est, cum quis, etsi expresse non intendat Deum tentare, ita tamen operatur, ut opus suapte natura eo referri videatur: e. g. si quis periculo se committat, a quo nequit nisi miraculose eripi; si quis media omittat naturalia, a solo Deo effectum sperans etc. Tentatio formalis grave est peccatum ex toto genere suo; quamvis fiat ex sola curiositate, juxta communiorem et probabiliorem sententiam. Tentatio interpretativa plerumque est veniale peccatum ob imperfectionem actus, inconsiderationem, vel periculi parvitatem.

PARS III.

DE CHARITATE.

CAPUT I.

DE CHARITATIS NATURA, DIVISIONE, ET OBJECTO.

83. *Quid est Charitas?*

Est virtus theologica divinitus infusa, qua diligimus Deum propter se super omnia, et proximum propter Deum.

84. *Quotuplex est charitas?*

Duplex est, habitualis, et actualis: prima est ipsa virtus, seu habitus divinitus infusus: actualis est actus, seu exercitium ejusdem virtutis.

85. *Quodnam est objectum charitatis?*

Objectum materiale primarium est Deus, objectum materiale secundarium nos ipsi, et proximus. Objectum vero formale est infinita Dei bonitas.

CAPUT II.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS ERGA DEUM.

86. *Adestne speciale præceptum diligendi Deum?*

Maxime, quod patet ex innumeris Scripturæ locis, præsertim ex Deuter. cap. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua etc.* (15*)

(15) Præceptum istud est affirmativum et negativum simul; quatenus præcipit charitatem, et Dei odium prohibet. Prout est affirmativum ad actum charitatis obligat aliquando per se et directe, aliquando per accidens et indirecte; uti dictum est de fide a n. 15. ad n. 20.

(*) Quoad charitatem, præter propositiones relatas n. 20. in nota, adsunt etiam

87. *Quotuplici modo potest Deus amari?*

Multiplici modo: et 1. amore interpretativo, vel amore explicito seu expresso: primus consistit in præceptorum observantia: alter consistit in expresso voluntatis conatu, seu inclinatione in Deum. 2. Amore intensive summo, vel amore summo appretiative: dicitur amor intensive summus, quando est vehementior omni alio amore: dicitur summus appretiative, cum Deus æstimatur super omnia, atque omnibus præfertur.

88. *Sufficitne, ut amor erga Deum sit interpretativus tantum, an requiratur, ut sit explicitus?*

Requiritur, ut explicitus sit et expressus, sicuti habetur ex prop. 1. ab Alex. VIII. proscripta (*); observantia enim præceptorum est charitatis effectus, et indicium.

89. *Quinam amor requiritur ad satisfaciendum præcepto Deum diligendi super omnia, summus appretiative, an summus intensive?*

Sufficit summus appretiative, qui aliquo modo in se intensivum continet: nullum enim adest præceptum de intensione charitatis; et hoc est homini moraliter impossibile.

90. *Tenemurne ex præcepto charitatis omnes nostras actiones ad Deum dirigere, atque referre?*

Maxime, et habetur ex 1. ad Corinth. cap. 10. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite;* hoc enim exigit summus erga Deum amor, ut ait D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2.

91. *Quotuplex esse potest hæc directio?*

Duplex, vel actualis, vel virtualis: prima consistit in actu: secunda habetur, quando est virtute permanens ex actuali antecedente, vel quando fit opus quod per se ad Deum est directum.

---

sequentes damnatæ ab Innoc. XI. 5.a *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*: 6.a *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum*: et 7.a *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possumus.*

(*) *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.*

92. *Hæc directio ad Deum debet esse actualis, vel sufficit virtualis?*

Sufficit virtualis, uti ait D. Thom. q. 2. de charitate a. 2, ad 2. propter humanæ naturæ imbecillitatem (*16*).

CAPUT III.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS ERGA PROXIMUM.

93. *AN detur præceptum divinum diligendi proximum?*

Datur, et habetur ex Matth. 22. 39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et ex Joan. 15. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

94. *Quinam veniunt nomine proximi?*

Omnes qui beatitudinis supernaturalis capaces sunt: ita SS. August. et Thom. (*y*)

95. *Quid denotat illud* sicut teipsum?

Denotat similitudinem, non æqualitatem (*z*).

96. *Sufficitne proximum diligere solum actibus externis?*

Minime; sed illum diligere debemus etiam actibus internis, et formalibus, juxta illud 1. Joan. 3. 18. *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate;* unde ab Innoc. XI. merito fuerunt damnatæ duæ propositiones (*).

97. *Quando obligat hoc præceptum diligendi proximum?*

Ad amorem habitualem obligat semper: ad actualem quoad affectum sæpe in vita, uti diximus de charitate Dei, habita proportione; quoad effectum vero quando proximus in necessitate spirituali vel temporali constitutus indiget nostro auxilio, et hoc illi commode præstare possumus, ut infra dicetur.

(*16*) Ad implendum hoc præceptum oportet sæpius, saltem quoque mane omnes nostros actus Deo generaliter offerre, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei.

Defectus hujusmodi directionis per se dici potest venialis: et ne venialis quidem, si ex ignorantia vel oblivione proveniat omnino inculpabili.

(*y*) *D. August. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 23. D. Thom. 2. 2. q. 44. a. 7. in corp.*

(*z*) *Ex D. Thom. loc. cit.*

(*) Prop. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.* Prop. 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

98. Daturne ordo in charitate ?

Datur, uti ex Cant. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem :* idem docent D. Augustinus, D. Thomas, et cæteri (*a*).

99. Quotuplex est hic ordo?

Duplex, alter in personis, alter in rebus.

100. Quinam ordo servandus in personis?

Sequens: 1. Deus super omnia diligendus: 2. nosmetipsi: 3. proximus. Et inter proximos diligendi sunt 1. sanctiores, et Deo chariores: 2. propinqui juxta gradum propinquitatis: 3. extranei (*b*).

101. Quinam ordo servandus in rebus?

Hic ordo: 1. diligere debemus Deum super omnia, utpote summum Bonum: 2. bona spiritualia animæ nostræ: 3. bona spiritualia proximi: 4. bona corporis nostri: 5. bona corporis proximi: 6. bona externa nostri: 7. bona externa proximi. Denique bonum commune privato est præferendum.

102. Utrum teneamur propriam vitam alienæ postponere?

Minime; quia prius nos, et postea proximum diligere debemus (*c*). Excipe si vita alterius sit necessaria ad bonum commune.

103. Tenemurne cum periculo vitæ proximo succurrere in necessitate spirituali?

Tenemur, si necessitas est extrema, et adest probabilis spes, quod opera nostra sit ei profutura: vita enim nostra temporalis vitæ spirituali proximi est postponenda; sic docent DD. August. Thom. et alii (*d*). In necessitate autem gravi et communi non tenemur. Excipe, si quis ex justitia obligetur; tunc enim etiam periculo vitæ est proximo succurendum in gravi necessitate constituto.

104. Licetne injustum vitæ invasorem occidere stantem in peccato lethali?

Licet, quidquid aliqui audiant; talis enim in eo non est vera necessitas, sed perversa voluntas.

(*a*) *D. August. ibid. cap. 27. D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 1. in corp.*

(*b*) *Ex D. Thom. 2. 2. tota q. 26.*

(*c*) *D. August. lib. de mendacio ad Consentium cap. 6.*

(*d*) *D. August. loc. cit. et lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 27. D. Thom. ibid. a. 5. in corp.*

105. Licetne peccatum quamvis veniale committere ad proximo subveniendum?

Minime sive in temporalibus, sive in spiritualibus; nam ex Apost. ad Rom. 3. 8. *Non faciamus mala, ut veniant bona.*

106. Potestne quis se privare bonis spiritualibus non necessariis ob salutem proximi spiritualem vel temporalem?

Potest; nam cum non sint necessaria, licite possunt saluti proximi postponi. Hinc filius tenetur non ingredi Religionem causa alendi parentes etc.

107. An teneamur ex præcepto charitatis inimicos diligere?

Maxime; uti habetur ex Matth. 5. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos etc.*

108. Interno tantum, an etiam externo teneamur inimicos diligere?

Externo etiam, eis exhibendo dilectionis signa.

109. Quotuplicis generis sunt hæc dilectionis signa?

Duplicis sunt generis: aliqua communia, quæ omnibus præstantur: alia particularia, quæ peculiaribus personis dantur.

110. Quænam signa tenemur inimicis exhibere?

Communia; nam ista negare signum odii est atque vindictæ (17).

111. Tenemurne injuriam remittere inimico veniam petenti?

Maxime, juxta illud Luc. 17.3. *Si peccaverit in te frater tuus... et pænitentiam egerit, dimitte illi.* Excipe si venia denegatur a patre, a superiore ad punitionem delicti, vel rei emendationem: sed tantum in exteriori.

112. Injustus offensor debetne ab offenso veniam petere?

Maxime; *Petat veniam, qui fecit injuriam*, inquit D. Aug. serm. 210. (etiamsi offensa fuerit privata, juxta veram sententiam): et coram illis, coram quibus fuit injuria allata.

113. Quid si mutuo se offenderint?

Si offensa æqualis est, qui prior offendit, veniam petere tenetur; si vero est inæqualis offensa, qui gravius offendit, debet veniam petere; quia gravior est ejus obligatio.

---

(17) At notandum, signa particularia esse posse communia respectu aliquorum, ut puta parentum, propinquorum; quare hæc illis negare etiam esset odii vindictæque signum. Idem dicendum, si adesset scandalum non præbendo signa peculiaria, aut si ista exhibendo proximi speraretur salus.

114. *Danturne casus, in quibus offensor non tenetur ab offenso veniam petere?*

Dantur, et sunt 1. si offensor offenso sit valde superior: 2. quando offensor prudenter judicat læsum magis ad iram provocari: 3. quando læsus sit absens.

115. *An possit offensus actionem civilem vel criminalem contra inimicum instituere?*

Maxime; sed tantum ad compensationem damni, vel solo amore justitiæ; non causa odii et peculiaris vindictæ. At in praxi periculosum et difficillimum est.

CAPUT IV.

DE PRÆCIPUIS MISERICORDIÆ OPERIBUS.

116. Quid est *Misericordia?*

Est virtus moralis, quæ nos ex compassione inclinat ad subveniendum alienæ miseriæ (e).

117. *Quotuplex est Misericordia?*

Duplex, spiritualis, vel corporalis, prout tendit ad spiritus corporisve miseriam sublevandam.

118. *Quot sunt actus misericordiæ spiritualis?*

Sunt septem in hoc versiculo contenti: ***Consule, Carpe, Doce, Solare, Remitte, Fer, Ora;*** hoc est consilium præbere, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari tristem, remittere offensas, patienter ferre injurias, molestias, et defectus proximi, denique pro vivis atque defunctis orare.

119. *Quot sunt actus misericordiæ corporalis?*

Etiam sunt septem, qui in hoc alio versiculo exprimuntur: ***Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo;*** scilicet visitare infirmos, et in carcere detentos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, nudos vestire, peregrinos hospitio recipere, et mortuos sepelire.

(e) *D. August. lib. 9. de Civit. cap. 2.*

SECTIO I.

DE ELEEMOSYNA.

120. *Quid est Eleemosyna?*

Est actus misericordiæ, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum: ita D. Aug. loc. cit.

121. *Adestne præceptum elargiendi eleemosynam?*

Maxime, et habetur ex Luc. 6. 30. *Omni petenti te tribue;* et ex Matth. 25. 41. et seq. *Discedite a me maledicti in ignem æternum ... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.*

122. *Quid requiritur, ut quis hoc præcepto teneatur?*

Duo requiruntur, necessitas ex parte recipientis, et bona superflua ex parte dantis.

123. *Quotuplex esse potest necessitas?*

Triplex, extrema nempe, gravis, et communis: extrema est, in qua quis constitutus vita periclitatur, nisi adjuvetur: gravis dicitur illa, in qua quis, si non succurratur, ægre vel difficulter in vita conservatur: communis denique est illa, in qua reperiuntur omnes, qui de aliena charitate vivunt. Eadem est distinctio in necessitate spirituali.

124. *Danturne bona superflua?*

Maxime, uti patet ex Luc. 11. 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam:* et ex prop. 12. proscripta ab Innoc. XI.(*)

125. *Quotuplicis generis sunt bona superflua?*

Triplicis sunt generis, aliqua superflua vitæ, quæ nempe ad propriam vitam, et nostrorum sustentandam non sunt necessaria: alia sunt superflua statui, illa nempe, quæ ad statum conservandum non sunt necesse: alia denique superflua sunt status decentiæ, et sunt ea non necessaria ad integram et completam proprii status decentiam.

126. *De quibus bonis tenemur facere eleemosynam?*

Pauperibus in extrema necessitate tenemur per se loquen-

(*) *Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

do (18) de bonis vitæ superfluis; in gravi de superfluis statui; in communi de superfluis ad decentiam status: ita commun. ex Scriptur. et ex D. Thoma (*f*).

127. *Num possit quis mutuo, commodato, venditione succurrere proximo in necessitate, an teneamur ei dare eleemosynam?*

Potest, dummodo proximus habeat spem probabilem acquirendi aliquid, et sic restituendi quod accipit mutuo etc. quia hoc tantum exigit ejus necessitas: quod si nulla adsit spes, tunc ei danda est eleemosyna absque onere restitutionis.

128. *Num quis possit dare eleemosynam de bonis, quorum non habet liberam administrationem?*

Non potest, nisi de consensu domini saltem tacito, vel pauper sit in extrema necessitate; nemo enim potest dare, quod suum non est, vel cujus administratio est ei prohibita.

129. *Quotuplicis generis sunt bona Ecclesiasticorum?*

Sunt triplicis generis: alia sunt patrimonialia, illa quippe, quæ Ecclesiasticis proveniunt non intuitu Ecclesiæ, sed alio communi titulo, ut puta donationis, hæreditatis etc. alia dicuntur quasi-patrimonialia, quæ proveniunt intuitu ministerii ecclesiastici, uti esset prædicationis, celebrationis Missæ etc. alia denique sunt mere ecclesiastica, illa nempe, quæ ex beneficio vel ecclesiastica pensione percipiuntur (19).

130. *De quibus bonis Ecclesiastici tenentur facere eleemosynam?*

De primis et secundis eodem modo tenentur, ac laici: de tertiis vero, retentis necessariis congruæ suæ ecclesiasticæ sustentationi, omnia superflua erogare tenentur pauperibus ex Trid.

(18) Dixi *per se loquendo*, scilicet tenemur in hisce casibus ad eleemosynam ordinariam, inspectis statu, circumstantiis etc. non vero ad extraordinariam ac exorbitantem. Hinc nemo tenetur pro servanda pauperis vita statu suo excidere, si majus id damnum videatur, quam illius mors: ita Sà, Layman, et alii. Item nemo tenetur magnam pecuniæ summam erogare ad proximi vitam servandam, ut puta ad emendam medicinam magni pretii, quamvis necessariam etc. nam si quisque non tenetur pro sua vita tuenda extraordinariis uti remediis, sicuti diximus in IV. tract. num. 299. in nota (✠✠), a fortiori non tenetur pro vita proximi.

(*f*) *2. 2. q. 32. a. 6. in corp.*

(19) Aliqui quartam addunt speciem, nempe *parsimonialium*, et sunt quæ Clericus ex reditibus ecclesiasticis subtraxit de sua sustentatione, vivendo parcius. De istis idem dici potest, quod de patrimonialibus statuitur.

sess. 25. de reform. cap. 1. et ex præcepto naturali, quia sunt bona pauperum (20).

131. An Prælati Religiosorum eleemosynam de bonis monasterii superfluis dare teneantur?

Maxime, uti fideles administratores bonorum Dei.

132. Pauper putatus potestne accipere, vel retinere eleemosynam sibi datam?

Minime; quia non habet titulum: nam quidquid ei datur, titulo paupertatis datur, qui verus non est in eo; et adest error substantialis in dante circa causam finalem. Quare obligatur illud restituere danti, vel pauperibus.

133. Quis ordo servandus est in proximo subveniendo?

In extrema necessitate spirituali infans baptizandus præferendus est cuicumque adulto; adultus enim potest sibi aliquo modo providere. Inter adultos pater præferendus matri, mater filiis, filii conjugi, conjux aliis etc. habita relatione ad gradum et speciem propinquitatis (21). In gravi vel communi necessitate prius conjux, deinde filii, postea parentes, et alii suo ordine. Idem ordo servandus est in necessitate corporali.

SECTIO II.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

134. Quid est Correctio fraterna?

Est actus misericordiæ spiritualis, quo per secretum et convenientem sermonem proximum a peccato avertere, et ad bonum honestum adducere conamur.

135. In quo differt a correctione judiciali, et paterna?

Differt in hoc, quod judicialis fit a publica potestate, servata forma judicii, ad punitionem potius, quam emendationem rei, ob bonum commune: paterna fit a Superiore sine forma

(20) Vide dicenda in tract. IX. num. 37. in nota (20).

(21) Aliquorum sententia est in extrema necessitate conjugem esse ipsis parentibus præferendum: alii volunt esse præferendum filiis, non vero parentibus. Sed rectior est ordo supra expositus.

judiciali ad emendationem rei, et est etiam obligatio justitiæ: fraterna fit ab æquali, vel inferiore, ex misericordia.

136. Adestne præceptum speciale correctionis fraternæ faciendæ?

Maxime, et habetur ex Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum:* quod denotat præceptum, et non consilium, uti ait D. Thomas.

137. Hujusmodi præceptum obligatne semper, an habitis circumstantiis?

Non semper, sed quando circumstantiæ concurrunt sequentes; scilicet 1. ut habeatur certa notitia peccati, vel ejus proximi periculi: 2. ut adsit probabilis emendationis spes; excipe, si per silentium peccatum videatur approbari: 3. ut possit fieri correctio sine gravi incommodo; at in extrema necessitate etiam cum gravi incommodo est facienda: 4. ut non adsit alius magis idoneus, qui possit et velit corripere: 5. denique ut locus, tempus, aliæque circumstantiæ sint ad fructuosam correctionem opportunæ.

138. Hoc præceptum obligat sub gravi, an sub levi?

Sub gravi ex genere suo; nam charitas, a qua emanat, graviter obligat.

139. Tenemurne corrigere proximum in venialibus?

Maxime, sed sub levi; quia levis est materia. Si vero ex veniali grave sequatur peccatum vel damnum, tunc tenemur sub gravi, per accidens enim obligatio fit gravis (*).

140. Pastores animarum, aliique superiores tenenturne cum gravi incommodo corrigere graves subditorum defectus?

Maxime, et etiam cum periculo vitæ in gravi necessitate; tenentur enim ex justitia ratione officii; et justitia obligat cum incommodo gravi.

141. Quinam ordo servandus in correctione fraterna recte facienda?

Ordo a Christo Domino præscriptus apud Matth. 18. 15. et sequent. scilicet prius monendus est proximus secreto; deinde co-

(*) Hinc Prælatus Regularis sub gravi tenetur leves subditorum culpas corrigere, ex quibu disciplinæ vigor cum magno Religionis detrimento minui incipiat.

ram testibus, si secreta monitio non prosit; tertio denuntietur superiori; quod si superiorem non audierit, habeatur uti ethnicus et publicanus.

CAPUT V.

DE PRÆCIPUIS VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

Permulta sunt vitia charitati Dei, et proximi directe opposita. At tantum hic de odio Dei, et proximi, atque de maledictione remissive erit sermo: de aliis in aliis disseritur locis.

142. *Quid est Odium?*

Est mentis aversio contra aliquod objectum.

143. *Quotuplex est?*

Duplex, odium inimicitiæ seu personæ, et odium abominationis sive qualitatis: primum est illud, quo alicui personæ, quæ nobis displicet, malum volumus, quatenus illius malum absolute est: alterum est, quo personam aversamur non secundum se spectatam, sed secundum aliquam ejus qualitatem; quæ nobis vel alteri displicet, aut nocet.

144. *Odium adversus Deum estne grave peccatum?*

Omne odium, sive inimicitiæ sive abominationis, est gravissimum directe contra Deum peccatum ex toto genere suo, charitati divinæ oppositum; nam cum Deus sit infinite perfectus et bonus, atque infinite amandus, quodcumque odium ei infinite opponitur.

145. *Odium contra proximum estne grave peccatum?*

Si est inimicitiæ, grave est peccatum ex genere suo; quia charitati oppositum, juxta illud 1. Joan. 3. 15. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Si vero est odium abominationis, sine justa causa est peccatum: at stante justa causa, culpa vacat, et aliquando laude est dignum; quia aversamur hominem, non uti hominem, sed uti peccatorem et perniciosum, juxta illud Prov. 29. 27. *Abominantur justi virum impium* (22).

(22) An liceat alicui malum desiderare, jam dixi in tractatu IV. n. 73.

146. Quid est Maledictio?

Est quædam verborum enuntiatio, qua imprecando vel optando malum aliquod pronuntiatur contra se, aut contra proximum.

147. Maledictio proximi estne peccatum, et cujus gravitatis?

Si malum, quod quisque imprecatur, est grave, et optatur proximo ex corde, maledictio est grave peccatum contra charitatem: unde Apostolus 1. Cor. 6. 10. ait: *Neque maledici... regnum Dei possidebunt.* Si vero malum est leve, leve est peccatum ob parvitatem materiæ: sic etiam erit leve, si grave quis imprecetur non ex corde; enunciatur enim ex levitate vel otiositate, et non ex odio. At juxta D. Thomam si grave malum quis imprecetur ex ira, quamvis non ex corde, etiam erit mortale ob proximum periculum illud enuntiandi ex pravo desiderio.

148. Maledictiones suntne specie distinctæ?

Maxime; nam desiderium mali speciem sumit ex diverso malo, quod optatur (g).

149. Estne peccatum maledicere creaturis irrationabilibus?

Si eis maledicitur, prout sunt noxiæ, nullum est peccatum: si uti sunt in se, leve est peccatum ex otiositate: si uti sunt alteri utiles, erit leve vel grave peccatum juxta mali qualitatem proximo obventuri, modo ex corde hoc malum intendatur: si denique eis maledicitur, prout sunt creaturæ Dei, peccatum mortale est blasphemiæ æquivalens.

150. Maledictio mortuorum quodnam peccatum est?

B. Ligorius (cum aliis, qui ante et post eum floruerunt) validis rationibus acerrime sustinet esse veniale peccatum; dummodo non maledicatur animabus mortuorum: aliqui tenent esse mortale (23).

(g) *D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 4. ad 1.*

(23) Maledicere Diabolo plerumque est veniale; quoniam maledici ille solet ut auctor malorum, et Dei inimicus: et sine actu impatientiæ ne veniale quidem esse videtur.

TRACTATUS VII.

DE RELIGIONE.

Inter omnes morales virtutes Religio excellentissima et præstantissima est: ejus enim objectum propinquius et perfectius Deum respicit. Merito igitur post tractatum de Virtutibus Theologicis, hunc de Religione subnectere censui.

CAPUT I.

DE NOTIONE, OBJECTO, ET ACTIBUS RELIGIONIS.

1. *Quid est Religio?*

Religio, prout hic accipitur, est virtus moralis, qua Deo, tanquam supremo omnium principio Domino ac fini, debitus cultus tribuitur.

2. *Quodnam est objectum religionis?*

Objectum *cui* est ipsemet Deus: objectum *quod*, seu materiale est cultus Deo debitus: objectum vero *quo*, seu formale est Dei infinita excellentia.

3. *Quid est cultus?*

Est complexus actuum, quibus creatura rationalis supremam Dei excellentiam, et suam Deo debitam submissionem contestatur.

4. *Quotuplicis generis sunt actus religionis?*

Alii sunt interni, qui in animo consummantur: alii dicuntur externi, qui nempe ad exterius transeunt, et externa actione complentur.

5. *Quinam sunt hujusmodi actus, sive interni, sive externi?*

Præcipui interni sunt Oratio, Devotio, Exaltatio Dei, Timor Dei, et Humiliatio cordis. Præcipui externi sunt Juramentum,

Votum, Adjuratio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Laus Dei, et externa Reverentia.

De Juramento et Voto tantum hic instituitur sermo.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

6. *Quid est Juramentum?*

Est invocatio divini Numinis in testimonium veritatis (*a 1*).

7. *Quotuplici modo potest quis Deum testari?*

Vel expresse, vel tacite: expresse cum explicitis verbis quis Deum testatur; uti illud Apostoli 2. Cor. 1. 23. *Testem Deum invoco in animam meam:* tacite quando aliquam creaturam testamur, non in se spectatam, sed relatam ad Deum, prout in illa specialiter elucet aliquod Dei attributum, uti fuit illud Moysis Deut. 4: 26. *Testes invoco hodie cælum et terram.*

8. *Testari aliquam creaturam ignobilem addito nomine Dei, ut puta* per hunc panem Dei, *estne juramentum?*

Maxime; nam explicita Dei denominatio denotat relationem ad ipsum Deum, et idem est ac Deum ipsum testari.

9. *An Hujusmodi formulæ.* Juro, Per fidem hominis honoris, In mea conscientia, Per fidem Sacerdotis etc. *sint vera juramenta?*

In se non sunt, cum nulla habeatur expressa, neque tacita divini nominis invocatio: sed in aliquo casu possunt esse vera juramenta, cum ex circumstantiis eruitur talia proferentem verum velle præstare juramentum (✻).

(*a*) *D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1.*

(*1*) Juramentum fieri potest mente, nutu, verbo, et facto.

(✻) Sic etiam per se non sunt juramenta hujusmodi formulæ: *Deus novit: Deus novit omnia: Deus videt meam conscientiam: Loquor coram Deo: Deus scit me verum dicere: Deus videt ita esse: Deus testabitur suo tempore: Deus scit quia non mentior: Vere, certe, in veritate dico: Per fidem meam* (dummodo non intelligatur fides Catholica): *In fide veri Christiani: Per conscientiam animæ meæ: Hoc verum est, quam sol lucet, quam hic sedeo, ambulo etc.*

Item non sunt vera juramenta dicere *Amputetur mihi nasus, aures etc. Sim in-*

10. *Quid est Adjuratio?*

Est actus Religionis, quo quis Deum, vel rem sacram contestatur ad aliquem movendum; uti fuit illud Apostoli 1. Thess. 5. 27. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc* (2).

11. *An juramentum differat ab adjuratione?*

Maxime; quia in juramento invocatur Deus uti testis; in adjuratione uti objectum amoris, vel timoris: in primo jurans apponit sibi Deum; in secunda apponit adjurans Deum alii: primum est obligatorium; secunda vero non obligat.

12. *Quotuplex est juramentum?*

1. Ex parte modi est simplex, vel solemne, judiciale, vel extrajudiciale: simplex, quod fit sine ulla solemnitate; solemne, quod fit aliqua solemnitate, e. g. tactu Crucis, Evangelii etc. ju-

---

famis, habear perfidus, hæreticus etc. Non sim honestus, Christianus etc. nisi verum sit quod dico.

Regulariter non sunt juramenta hæ aliæ formulæ: *Quod dico est Evangelium, est instar fidei, est de fide, est verum quam est Deus, quam Christus est in venerabili Sacramento, quam est verum Evangelium; vel sum innocens, ut Christus, B. Virgo, Sanctus N. etc.* quia tantum aliquam similitudinem denotant. At si loquens intendit significare, tantam esse (secundum æqualitatem) in suo dicto certitudinem, quanta est in istis rebus expressis, tunc hujusmodi formulæ sunt veræ blasphemiæ: Verba *Vivit Deus, Deus est veritas* non sunt juramenta, si enuntiative proferuntur: contra si invocative dicuntur, sicut ex communi usu accipiuntur.

Sunt autem vera juramenta istæ expressiones: *Per fidem Catholicam: Per sanctum Evangelium: Per sacram Scripturam: Per animam meam: Per templum Dei: Per Crucem: Per sanguinem vel vulnera Christi: Per aliquod Sacramentum. Tollat me Deus subitanea morte: Vivus hinc non discedam: Dæmon me ducat in infernum etc. si mentior.*

In foro interno quibuscunque verbis quis utitur, et ea putat esse juramenta, vere jurat: et contra.

(2) Potest esse solemnis, quæ fit a Ministris, et modis ab Ecclesia constitutis: vel privata, sine nempe hujusmodi solemnitatibus. Potest esse deprecativa, vel imperativa, ut per se patet. Ut sit licita, tria quoque requiruntur, nempe veritas, justitia, et judicium, prout dicetur de juramento. Defectus veritatis raro erit plusquam venialis: defectus justitiæ est mortalis, etsi res petita sit leviter mala, juxta probabiliorem sententiam: defectus judicii, idest debitæ discretionis, non est nisi venialis. Adjuratio Dæmonum debet esse imperativa: et fieri tantum ad vexationem et damna amovenda, non vero ad vanitatem vel curiositatem: hinc communi sententia non excusatur a peccato gravi, qui multos cum Dæmone obsidente inutiles haberet sermones. Licet Exorcistæ a Dæmone interrogare omnia, quæ ad ejus conducant expulsionem. Hinc potest interrogare de numero et nomine obsidentium; tempus et causam ingressus; signum egressus, et similia. Quomodo se gerere debeat Exorcista in Dæmone adjurando legatur præsertim in Rituali Romano.

diciale, quod fit coram judice legitime interrogante; extrajudiciale, quod fit extra judicium. 2. Ex parte rei, super quam pronuntiatur, esse potest assertorium, execratorium, promissorium, et comminatorium: primum est, quo confirmatur dictum de re præsenti, vel præterita: secundum, quando jurans aliquod malum sibi vel suis charis imprecatur a Deo falsitatis vindice, si verum non sit, quod asseritur: tertium est, quo quis confirmat quod promittit: quartum denique habetur, quando quis jurando aliquid mali alteri minatur.

13. Prædicta juramenta suntne ejusdem speciei?

Maxime, omissa contraria opinione; in omnibus enim una est ratio formalis, Deum nempe in testimonium veritatis adducere.

14. Estne licitum jurare?

Habitis conditionibus est licitum, imo bonum; cum sit actus Religionis, juxta illud Deut. 6. 13. *Illi (Deo) soli servies, ac per nomen illius jurabis* (b*).

15. Quænam sunt conditiones ad juramentum requisitæ?

Sunt tres, veritas nempe, judicium, et justitia, uti habetur ex Jerem. 4. 2. *Jurabis: Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia.* Veritas consistit, ut non adducatur nomen Dei in confirmationem falsitatis: judicium, ut quis juret cum debita consideratione, nempe ex necessitate, vel utilitate: justitia denique, ut non adducatur Dei nomen in confirmationem rei vel dicti iniqui.

16. Estne peccatum jurare sine veritate?

Maxime, et est grave peccatum ex toto genere suo; gravissima enim est Dei injuria illum invocare in testimonium mendacii, etiam levis: quod patet etiam ex prop. 24. proscripta ab Innoc. XI. (**)

17. Num possit quis jurare tanquam certum, quod audivit ab alio fide digno?

Potest: at in judicio debet addere, se illud ab alio audivisse; in judicio enim juramus ea, quæ vidimus (c).

(b) *S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 4. in corp.*

(*) Objic. Christus Dominus Matth. 5. 34. ait: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino etc.* Ergo non licet jurare. Respondetur hoc intelligi de juramento sine conditionibus, uti explicant D. Aug. D. Thom. et alii.

(**) Propositio ajebat: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

(c) *Ex can.* Testes *15. caus. 3. q. 9.*

18. *An in defectu veritatis juramenti promissorii detur parvitas materiæ?*

Si sermo sit de veritate in intentione, non datur; quia caderet juramentum super mendacium, quod esset graviter Deo injuriosum, uti diximus. Si sermo sit de executione, et materia promissionis sit gravis, datur parvitas materiæ; quia in casu observatur substantia juramenti promissorii: sed si tota materia promissionis levis sit, et tota non impleatur, tunc litigant Doctores: aliqui contendunt non dari; nam non adimpletur in casu substantia juramenti: alii vero dicunt dari; nam non implere promissionem non est mendacium, sed infidelitas, quæ ad gravem non pertingit culpam, quum res promissa sit levis (3).

19. *Licetne jurare sine animo jurandi?*

Numquam licet; semper enim esset mendacium: et oppositum est damnatum (*).

20. *Taliter jurans peccat graviter, an leviter?*

Variant Theologi: præstat tamen sic distinguere: Vel jurat verum absque animo jurandi, et peccat leviter (dummodo fiat extra contractum, judicium, et quemcumque casum, in quo quis tenetur jurare, vel habetur damnum proximi); nam parva irreverentia est Deum invocare sine animo invocandi. Vel jurat falsum, et peccat graviter; quia invocatione externa Deum adducit in testimonium mendacii.

21. *Licetne jurare cum restrictione mentali vel æquivocatione?*

Cum restrictione pure mentali non licet; nam restrictio pure mentalis est merum mendacium, uti diximus tract. IV. n. 158. et patet ex pluribus propositionibus proscriptis (**): cum restrictione

---

(3) Deficit veritas in intentione, cum jurans in actu juramenti non intendit exequi quod promittit, totum, vel in parte. Deficit vero in executione, cum jurans in actu juramenti intendit exequi quod promittit; sed postea, mutata voluntate, facto non exequitur quod promisit, in toto, vel in parte.

(*) Prop. 15. ab Innoc. XI. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

(**) Prop. 26. damn. ab Innoc. XI. quæ ajebat: *Si quis ..... juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit etc. revera non mentitur, nec est perjurus:* et prop. 27. ac 28. ab eodem Pontifice damnatis similia asserentibus.

mixte mentali aut æquivocatione licet jurare, modo non adsit obligatio manifestandi veritatem; quia non est mendacium, sed veritatis occultatio (*). Dixi *modo non adsit obligatio manifestandi veritatem:* nam si talis adesset obligatio, uti foret coram judice legitime interrogante (4), tunc non licet cum restrictione mixte mentali aut æquivocatione jurare; quoniam non possumus in casu veritatem occultare.

22. *An juramentum incautum sit peccatum, et perjurium?*

Juramentum incautum est, quod fit absque debita consideratione, utrum sit verum an non quod juratur. Hoc est peccatum; quia taliter jurans se perjurandi periculo exponit: et quidem grave, si gravis est negligentia: leve vero, si negligentia levis est. Aliqui dicunt esse perjurium; nam sic jurans affectum ad perjurium demonstrat: alii negant; quia taliter jurans revera non mentitur contra mentem suam.

23. *Si desit in juramento justitia, estne peccatum grave?*

Maxime, si juramentum est promissorium; gravis enim injuria est, divina auctoritate se quasi obligare ad peccatum mortale. Item dicito, si quis juramentum assumeret ad aliquam detractionem firmandam; quia tunc sumitur juramentum uti medium ad infamiam alterius certiorem reddendam. In aliis vero juramentis assertoriis, nempe si quis juramento se jactet de aliquo suo peccato, quæstio est: alii affirmant; quia semper gravis est irreverentia Deum adducere in testimonium iniquitatis: alii vero negant; quia tunc juramentum pronuntiatur ad alios tantum de suo peccato certiores reddendos, quod non nisi quædam est animi levitas.

24. *Casu quo defectus justitiæ est peccatum grave, an ratione parvitatis materiæ disinit esse grave?*

Litigium est: at rationabilius non desinit esse grave; semper enim gravis injuria contra Deum videtur eum adducere testem et fidejussorem peccati quamvis levis.

(*) Hinc potest Confessarius etiam juramento affirmare, se nescire peccatum in Confessione auditum. Sic etiam potest quis asserere, se factum aliquod nescire, quoties tenetur illud occultare.

(4) At si quis a Judice sit non legitime interrogatus, potest etiam juramento veritatem occultare.

25. Defectus judicii estne peccatum?

Maxime, sed leve; habita enim veritate et justitia, non videtur gravis contra Deum injuria eum sine necessitate vel utilitate invocare in testimonium alicujus rei.

26. Peccatne, qui habet consuetudinem jurandi?

Si habet consuetudinem jurandi, et non mentiendi, peccat leviter defectu judicii. Si autem consuetudinem habet jurandi et mentiendi, sive conjunctim sive divisim, peccat graviter; quia reperitur in periculo proximo perjurandi, et gravi tenetur obligatione eam evellere consuetudinem (*d*).

27. Juramentum estne servandum?

Maxime; obligat enim ex Religione: et ex genere suo gravis est hujusmodi obligatio; dummodo servari possit sine peccato, et damno tertii (*e*).

28. An ex juramento promissorio ficto oriatur obligatio?

Si sermo sit de juramento prolato sine animo jurandi, et non est obligatorium coram Deo, cum non sit verum juramentum: at potest obligare ratione scandali, vel damni. Si sermo sit de juramento sine animo obligandi, et quæstio est: juxta aliquos est obligatorium, cum sit verum juramentum: juxta alios non obligat, cum non sit verum juramentum; nam conditione caret ad naturam juramenti promissorii necessaria, qualis est animus se obligandi; et sicuti non valet promissio sine animo se obligandi, ita et juramentum. Si vero factum sit sine animo exequendi, tunc obligat; habetur enim substantia juramenti, et intentio adimplendi est quid accessorium.

29. Quænam esse debet materia juramenti, ut obligationem pariat?

Res bona, honesta, et possibilis. Hinc non obligat juramentum de re illicita, etiam veniali, cum non sit vinculum iniquitatis (*f* 5).

(*d*) *Ecclesiast. 23. 9. et seq. alibiq.*

(*e*) *Cap.* Si vero *8.* Cum contingat *28. de jurejur. et alibi.*

(*f*) *Ex cap.* Quanto personam *18. de jurejur.*

(5) Qui juravit non jurare, et postea jurat, peccat jurando, at tenetur ad juramentum; quia actus jurandi est vitiosus, non ipsa materia juramenti. Si vero secundum juramentum est contra prioris juramenti materiam, tunc non valet; quia de re illicita.

30. An obliget juramentum de re per aliquam legem prohibita?

Si res est prohibita per legem naturalem, divinam, canonicam aut civilem ob bonum commune aut tertiæ personæ, juramentum non obligat; cum sit de re illicita: si vero res prohibita est per legem canonicam aut civilem ob bonum privatum ipsius jurantis, tunc obligat; quisque enim potest cedere juri suo (*g 6*).

31. An sit licitum, et obliget juramentum contra consilia evangelica?

Si est absolute factum, non est licitum, neque obligat; quia habet rationem voti, ideo debet esse de meliori bono (*h*). Si autem factum sit in favorem alicujus hominis, licitum est, et obligat; homo enim quærit, quod sibi est utile, non quod in se perfectius est (*i*).

32. Quænam conditiones tacite continentur in omni juramento promissorio?

Sequentes: 1. si potuero; 2. salvo jure, et auctoritate superioris; 3. nisi res immutata sit; 4. nisi obligatio sit remissa (*k*).

33. Utrum juramentum comminatorium sit licitum, et obliget?

Si pœna est justa, et non est causa majoris mali, et subsistit causa punitionis, juramentum comminatorium est licitum, et obligat; quia de re bona: aliter non est licitum, neque obligat ob rationem contrariam.

34. An sit licitum juramentum execratorium?

Affirmative, dum adsit veritas, justitia, et judicium; quia est actus religionis. Sed summopere cavendum ratione scandali, quod ordinario secum fert.

35. Quomodo sit in dubio interpretandum juramentum?

Stricte in favorem religionis, et ob periculum perjurii.

36. Quinam possunt jurare?

Extra judicium omnes rationis usu præditi: in judicio non

(*g*) Ex cit. cap. *Si vero*, et *Cum contingat*, *aliisq. innumer.*

(*6*) De juramento contractibus apposito sermo erit in tract. IX. part. I. cap. IV.

(*h*) *Ex cap.* Pervenit 3. *de jurejur. et cap.* Scripturæ *4. de voto. D. Thom.* 2. 2. *q. 89. a. 7.* (*i*) *Arg. ex var. jur. loc.*

(*k*) *Ex var. canon. Glossa in cap.* Quemadmodum *25. de jurejur.*

admittebantur impuberes, perjuri, infames, socii criminis; Sacerdotes non erant compellendi ob levem causam.

37. *Quibus modis tollitur obligatio juramenti?*

Pluribus modis, scilicet mutatione materiæ; cessatione causæ finalis; condonatione habita ab eo, in cujus favorem erat juramentum; irritatione facta ab eo, cujus potestati subjecta est materia juramenti, vel voluntas jurantis; et dispensatione superioris habentis potestatem in foro externo, dummodo juramentum non sit in favorem tertii (*l* 7).

38. *An superior possit aliquando dispensare juramentum in favorem tertii factum?*

Maxime, et potest ob bonum commune, aut in pœnam promissarii, aut ratione injuriæ juranti illatæ (*m*).

CAPUT III.

DE VOTO.

SECTIO I.

DE NATURA, ET OBLIGATIONE VOTI.

39. *Quid est Votum?*

Est deliberata promissio facta Deo de meliori bono (*n* 8).

(*l*) *Ex multis jur. loc.*

(7) Ad hoc accomodantur, quantum fieri potest, quæ infra dicentur de causis, quibus voti desinit obligatio. At qui delegatam habet potestatem dispensandi in votis, probabilius non potest dispensare in juramentis; uti patet ex stylo Curiæ Romanæ, et ex eo quod vinculum voti a juramenti vinculo est diversum. Idem dicendum de commutatione.

Qui habet potestatem dispensandi vota, probabilius potest dispensare vota jurata, et juramenta pia soli Deo facta.

(*m*) *Ex plur. jur. loc.* (*n*) *D. Thom. 2.2.q.88.a.1, D.Bonav. in 4.distinct.1.quæst.1.*

(8) Dicitur 1. *promissio*; quia non est satis nudum propositum etc. sed requiritur animus se obligandi. Aliquando sufficit promissio implicita, ut est in ordine sacro. 2. *deliberata*, idest cum plenâ advertentia, et pleno libero consensu. 3. *facta Deo*, sive immediate, sive mediate, nempe Sanctis relate ad Deum. 4. *de meliori bono*; quia quod vovetur debet esse non solum bonum, sed melius quam oppositum, licet oppositum sit aliquid negativum, vel malum.

40. Differtne votum a juramento?

Maxime; in juramento enim venit Deus uti testis, in voto uti promissarius: primum sufficit, ut sit de re bona, secundum debet esse de meliori bono.

41. Differtne votum a simplici promissione?

Utique; nam votum debet esse de meliori bono; promissio sufficit, ut sit de re bona: votum fit Deo tantum; promissio etiam hominibus: promissio obligat ex fidelitate, vel justitia; votum ex religione.

42. Quotuplex est votum?

Multiplex: et 1. dividitur in reale, personale, et mixtum, prout afficit rem, aut personam, aut utramque. 2. Dividitur in reservatum, et non reservatum: primum est, a quo tantum Summus Pontifex potest dispensare: alterum est, in quo potest dispensari a superiore inferiore. 3. Aliud est solemne, quod solemniter emittitur in professione religiosa, vel in sacris ordinibus: aliud vero est simplex, quod istis solemnitatibus caret. 4. Dividitur in absolutum, et conditionatum, prout absque, vel cum aliqua conditione fit. Conditionatum vel est pure conditionatum, vel pœnale: primum est, quando quis aliquid promittit sub conditione, sed non uti pœnam; v. g. *Si pater vixerit, voveo eleemosynam*: alterum est, quando quis promittit aliquid sub conditione, tanquam pœnam suæ commissionis, vel omissionis; e. g. *Si lusero, voveo eleemosynam.* Quod pœnale vel est simplex, vel duplex pœnale: simplex, quando quis voto ad pœnam tantum se obligat; uti est *Si lusero, voveo eleemosynam*: si vero se obligat ad aliquid faciendum vel omittendum, et ad pœnam etiam in casu inadimpletionis, tunc dicitur votum duplex pœnale; uti esset *Voveo non ludere, et si lusero voveo eleemosynam.* 5. Denique votum est perpetuum, vel temporale, prout fit ad semper, vel ad tempus (9).

43. Quinam possunt vovere?

Omnes usum rationis habentes. Excipitur professio religiosa, quæ est omnino nulla ante annum XVI. completum, et ante an-

(9) Potest quoque esse absolutum, vel alternativum, prout de una tantum fit re, vel de una ex pluribus. In alternativo ad voventem spectat electio, nisi aliud constat.

num novitiatus etiam completum; ex Trid. sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 15.

44. An votum obliget sub peccato?

Maxime, et est de fide, sicuti habetur ex Scripturis (*): et gravis est hujusmodi obligatio ex genere suo; est enim actus religionis (*o*,*10* ✻).

45. Potestne vovens se obligare sub levi in materia gravi?

Maxime; nam cum votum sit lex privata, ejus obligatio a voventis voluntate dependet. Excipiuntur tamen vota, quorum obligatio per se est gravis ex institutione Ecclesiæ; uti sunt vota status religiosi.

46. Potestne vovens sub gravi se obligare in materia levi?

Si materia, inspectis omnibus circumstantiis, undequaque est levis, non potest; quia obligatio commensuranda est cum materia: sin aliter potest.

(*) Præsertim Deut. 23. 21. legitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

(*o*) *Cap.* Licet *6. de voto.*

(*10*) Si quis aliquid leve vovit pluribus diebus præstandum, uti onus illorum dierum (quod idem est ac ponere dies ad finiendam obligationem), peccat semper leviter, etiamsi nunquam opus præstet; nam istæ materiæ non coalescunt ex diversitate temporis. Si vero per modum unius (idest ad sollicitandam vel differendam, non ad finiendam obligationem) id vovit, peccat graviter pluribus diebus id ipsum omittens; quoniam coalescunt materiæ parvæ: nam iste quasi totum simul promisit, et in materia gravi non præstat. Quot autem omissiones requirantur ad materiam gravem, taxandum est ex ipsa re vota. Quare inspicienda est mens voventis, quo modo se obligaverit: in dubio vero, in voto reali præsumitur dies esse appositos ad differendam vel sollicitandam obbligationem, in personali ad finiendam; nisi aliud eruitur ex circumstantiis.

(✻) Secundum aliquos qui vovit per mensem audire Sacrum, non tenetur in festis audire duo: et hoc est quoque, si imponatur a Confessario pro pœnitentia: dummodo non constet de contraria intentione voventis, vel Confessarii.

Qui vovet rosarium, satisfacit recitando tertiam partem, ut communiter intelligitur. Et satisfacit recitando alternativum, ut aliqui putant.

Qui vovet jejunium per mensem, non tenetur in Dominica: et si vovet in vigilia alicujus Sancti, quæ veniat in Dominica, potest jejunium anticipare in Sabbato, ex more Ecclesiæ. Ex eadem ratione qui vovit jejunium stato die hebdomadis, puta feria sexta etc. ad jejunium probabilius non tenetur, si eo die inciderit festum Nativitatis Dominicæ: excipe tamen, si vovens in hac etiam circumstantia expresse intenderit se obligare.

47. *Quænam conditiones requiruntur in voto, ut obliget?*

Tres præcipue, ut sit deliberatum (11 ✻), de meliori bono (12), et materia voti sit in potestate voventis (13).

48. *An valeat votum per errorem vel dolum emissum?*

Vel error et dolus est circa substantiam, vel qualitates substantiales, non valet votum; quia deficit consensus (✻✻): si vero error aut dolus est circa qualitates, vel circumstantias accidentales, valet votum; habetur enim consensus substantialis.

49. *Quid si error sit circa causam voti?*

Si error est circa causam finalem, nullum est votum; nam deficit consensus: si vero est error circa causam impulsivam, validum est votum; quia adest substantialis consensus (14).

50. *An valeat votum de re indifferenti?*

Maxime, dummodo res cohonestatur ex aliqua circumstantia (15).

(11✻) Ad valide vovendum ea requiritur ætas et rationis usus, qui satis est ad peccatum mortale perfecto actu humano, et directo in se volitum. Quare non obligat votum cum semiplena advertentia vel semiplena deliberatione emissum, ut puta ex repentino animi motu, ex calore iracundiæ, in ebrietate etc. Non valet votum emissum animo non promittendi: sic etiam probabilius est nullum, si sit emissum animo se non obligandi; at valet, si sit emissum animo non exequendi, modo adsit animus promittendi, et se obligandi. Vide quæ de ficta promissione dicentur tract. IX. num. 237.

Qui ficte vovit, ordinario peccat venialiter ob mendacium: in professione vero religiosa, et in sacris ordinibus peccat graviter; quia deceptio est in re gravissima.

(12) Peccat mortaliter qui rem vovit malam; quamvis (juxta probabiliorem sententiam) res sit leviter mala. Sic invalidum est, et veniale peccatum bonum vovere, quod est impeditivum boni majoris: excipe, si minus bonum per accidens fieret majus.

(13) Qui alterius vovet factum, debet curare modo licito, quo potest, ut factum præstetur; v. g. rogando, persuadendo, etiam præcipiendo, si est superior, sumptus suppeditando, et aliquando etiam paciscendo etc.

Juxta aliquos nullum est alternativum votum, si una res sit mala, vel vana, vel impossibilis. Pars, quæ eligitur, est præstanda, etiamsi post electionem pereat altera pars, vel fit impossibilis: at si pars pereat vel fit impossibilis ante electionem, non teneris ad alteram, dummodo non adsit culpa, neque mora culpabilis in re tradenda, aut determinanda. *B. A. Lig. Salm. Sanch. Pal. Mol. et alii.*

(✻✻) Quare ex veriori sententia non obligat votum ab eo emissum, qui ejus ignorabat obligationem. Excipe, si quis vovere voluerit modo ordinario, quo alii vovent, ut aliqui tenent: at melius excipitur, si quis intendit se obligare modo, quo se obligant alii similiter voventes.

(14) In 1. tract. n. 35. fuit sermo de Voto per metum extorto.

(15) Valet votum de re aliunde præcepta: tunc rem non præstans duplex committit peccatum; quod est in confessione patefaciendum.

51. *Quid dicendum, si quis pronus ad vota temere emittenda voveat se non emissurum vota in posterum sine Confessarii licentia, et postea eo inconsulto votum emittat?*

Valet primum votum; quia fuit de meliori bono: iste peccat contra votum vovendo sine consilio Confessarii: et tenetur ad secundum votum, quamvis peccato emissum; actus enim voventis in casu est malus, non materia voti (16).

52. *Valetne votum de re honesta ob pravum finem?*

Si finis pravus se tenet ex parte voventis, valet votum; quia bonitas voti non desumitur ex bonitate actus humani, sed ex bonitate ipsius rei votæ: si verò finis malus habetur ex parte rei votæ, votum non valet; cum absolute sit malum objectum voti.

53. *Quando finis malus habetur ex parte voventis, et quando ex parte rei votæ?*

Habetur ex parte voventis, quando finis malus comitatur tantum actum voti: habetur ex parte rei votæ, quando res ipsa promissa dirigitur et assumitur tanquam medium ad finem pravum; uti esset votum ad aliquid injustum obtinendum (17).

54. *Valetne votum emissum pro injusta victoria jam obtenta?*

Maxime; quia est de victoria, non tanquam injusta, sed tanquam a Deo accepta (18).

55. *An valeat votum emissum causa evadendi salvum a duello, ne quis capiatur in furto etc?*

Si vovens intendit Deum habere ceu cooperatorem suæ iniquitatis, votum non valet; cum sit de re mala: aliter valet votum; quia cadit supra rem, non prout malam, sed quatenus est bona, et donum Dei.

56. *Valetne votum contra consilia evangelica?*

Minime; quia non est de meliori bono (*).

---

(16) Idem dici potest, si quis generice votum emittit non vovendi, cum ipsi melius est non vovere.

(17) Secundum aliquos si opus pravum ponitur non ut finis voti, sed ut simplex conditio, tunc valet votum; quia, impleta conditione, honestum est in se votum implere: v. c. voveo eleemosynam, si furtum faciam. At contrarium mihi videtur probabilius ex eo, quod omnis obligatio sub turpi conditione ex jure declaratur nulla.

(18) Non valeret tamen, si esset ad obtinendam injustam victoriam.

(*) Uti esset manere in sæculo, ducere uxorem, mercaturam facere etc.

57. *Matrimonium estne materia voti?*

Per se non est; cælibatus enim matrimonio est melior: sed per accidens potest esse materia voti, quando nempe est necessarium ad bonum commune, ad aliquod malum reparandum etc. (*)

58. *An valeat votum non peccandi?*

Votum non peccandi mortaliter, vel venialiter cum plena deliberatione, valet; quia de re possibili ordinariis gratiæ auxiliis: non peccandi venialiter cum imperfecta deliberatione non valet, cum sit de re moraliter impossibili; requiritur enim speciale gratiæ privilegium, uti patet ex Trid. sess. 6. can. 23.

59. *Si quod votum partim est possibile, et partim impossibile, teneturne vovens ad partem possibilem?*

Si partes rei votæ promissæ sunt divisim, nempe sine dependentia inter se, vovens tenetur ad partem possibilem; quia utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit (*p*)(**): si autem partes per modum unius promissæ sunt, non tenetur vovens ad partem possibilem; nam non intendit se obligare ad unam partem sine altera.

60. *Quid si vovens dubitet, utrum per modum unius, aut divisim emiserit votum?*

Tunc si pars possibilis est principalis, ad istam tenetur; præsumitur enim voluisse se ad partem principalem obligare independenter ab accessoria: si vero pars principalis est impossibilis, ad nihil tenetur ob contrariam rationem.

61. *Si quis duo vota emiserit incompossibilia, ad quale tenetur?*

Tenetur ad dignius; quia melius: si autem sunt æqualia, tenetur ad primum; ad istud enim prius se obligavit: et si ne hoc quidem sciat, libera est electio (*19*).

(*) Uti esset pax inter principes, conversio hæreticorum, tranquillitas communitatis etc. Ad consulendum puellæ defloratæ, ad filios legitimandos; et probabilius ad vitandam incontinentiam, si quis nollet alia adhibere remedia, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. 9. *Melius est enim nubere, quam uri.*

(*p*) *Ex regula jur.* Utile 37. *in 6.*

(**) Hinc conjux vovens castitatem tenetur ad non petendum: qui non potest calicem dare aureum, tenetur ad argenteum etc.

(*19*) De dubio voti vide quæ dicta sunt tract. II. num. 45.

62. *Quando adimplendum est votum, si nullum sit in eo tempus præfixum?*

Quam citius potest, judicio prudentum, juxta illud Eccles. 5. 3. *Si quod vovisti Deo, ne moreris reddere.*

63. *Teneturne vovens votum adimplere ante tempus præfixum, si prævideat aliquod impedimentum tali tempore futurum?*

Si opus fuit promissum uti onus proprium illius temporis, non tenetur vovens prius illud adimplere; quia votum non obligat, nisi adveniente tempore: si tempus vero fuit appositum ad differendam vel sollicitandam adimpletionem, tenetur vovens ante tempus votum adimplere; nam a principio contraxit obligationem (20).

64. *Quando obligat votum sub conditione emissum?*

Si conditio est impropria, obligat a principio votum, dummodo conditio sit vera; quia non suspendit consensum: si conditio est propria, obligat votum adveniente conditione; ita enim vovens se obligare intendit.

65. *Oriturne aliqua obligatio ex voto facto sub conditione propria?*

Oritur obligatio imperfecta, scilicet expectandi adventum conditionis, et se non reddendi ad votum inhabilem.

66. *An peccet, et teneatur ad votum, qui illud emisit sub conditione a propria voluntate dependente, et conditionem non ponit, ut a voto eximatur?*

Si ei est licitum conditionem non ponere, non peccat, neque ad votum tenetur; quia liber est in non ponenda conditione, et modo licito se eximit a voti obligatione. Si vero conditionem non ponere illicitum est ei, peccat contra virtutem, quam violat conditionem non ponendo, et contra religionem; nam modo illicito curat se a voto eximere: utrum vero teneatur ad votum, quæstio est: alii negant, quia conditio non est impleta: alii affirmant, quia quod malum est nulli favere potest, et habetur tanquam non positum (21).

67. *Qui votum emisit sub conditione a voluntate alterius dependente, et conditionem impedit, utrum peccet, et ad votum teneatur?*

Si bonis artibus hoc faciat, non peccat, neque ad votum

(20) Si vero dubium sit de intentione, relege dicta in num. 44. nota (10) in fine.
(21) Idem dicendum de illo, qui aliquam conditionem adimplet, ut a voto eximatur.

tenetur; quia licet cuique modo licito se a voti obligatione eximere: si vero malis artibus hoc faciat, peccat; utrum ad votum teneatur, quæstio est superiori similis.

68. *Ut quis ad votum sub duplici conditione emissum teneatur, requiriturne impletio utriusque conditionis?*

Si conditiones fuerint appositæ per modum unius, ambæ sunt implendæ, ut vovens teneatur ad votum; sic enim fuit ejus voluntas: si vero fuerint appositæ disjunctive, sufficit impletio unius.

69. *Quot peccata committit, qui votum pœnale non servat?*

Unum peccatum, si votum est simplex pœnale; unum enim violat votum: si vero votum est duplex pœnale, et ambas partes non servat, duplex committit peccatum; quia duo violat vota.

70. *Teneturne ad pœnam, qui immemor primæ partis voti duplicis pœnalis, illam non servat?*

Minime; transgressio enim non est voluntaria, ideoque non pœnæ digna (22).

71. *Qui dispensationem obtinuit primæ partis voti duplicis pœnalis, teneturne ad secundam partem, quæ est pœna transgressionis primæ partis?*

Minime; per dispensationem enim cum ablata sit obligatio primæ partis, nulla amplius esse potest transgressio, ob quam incurritur pœna.

72. *Votum pœnale obligatne toties, quoties habetur transgressio?*

Inspicienda est mens voventis. Quod si votum factum sit absque limitatione, quæstio est: Layman, Salmaticenses et alii tenent obligare pro prima vice tantum, si votum sit simplex pœnale, vel pœna sit extraordinaria; verisimile enim non est, quod vovens voluerit se obligare semper ad hujusmodi pœnam.

73. *Obligatio voti transitne ad hæredes?*

Si votum est personale, non transit; quia afficit tantum personam voventis, et cum ea expirat: si votum est reale, transit;

---

(22) Quid si quis oblivisceretur pœnæ in voto pœnali simplici vel duplice? Quoad hoc relege dicta in 1. tract. num. 49. et seq. votum enim est privata lex, quam quisque sibi imponit.

nam hæres adeundo hæreditatem suscipit in se obligationes reales defuncti (q 23).

74. *An in aliquo casu teneatur hæres ad vota personalia defuncti?*

Maxime, quando hæres sponte se obligavit talia vota adimplere (r): vel quando hæres voluntarius tali onere accepit hæreditatem.

75. *Si votum est mixtum, teneturne hæres ad partem realem?*

Si votum factum fuit per modum unius, non tenetur: nam in casu pars realis non est separata in intentione a parte personali; et cum non sit hæres obligatus ad personalem, ne ad realem quidem obligatur. Si votum vero sit emissum separatim, tenetur hæres ad partem realem; utile enim per inutile vitiari non debet. In dubio autem, si pars realis est principalis, tenetur hæres ad istam; voventem enim præsumitur se obligasse ad principalem partem etiam sine parte minus principali, quæ est accessoria: vice versa si pars realis sit minus principalis.

76. *Teneturne hæres ad vota realia, si hæreditatis vires non sufficiant?*

Minime; quia non habet unde solvere talia vota.

77. *Solutio votorum estne præferenda omnibus aliis legatis?*

Utique, cum sit potior obligatio.

78. *Debita ex justitia suntne votis præferenda?*

Maxime, nam vota sunt solvenda ex bonis defuncti; et bona defuncti sunt quæ supersunt, deducto ære alieno.

79. *Si plures sint cohæredes, quomodo tenentur ad vota realia persolvenda?*

Si res promissa in specie fuit alicui relicta (dummodo non sit de legitima), iste tantum tenetur; talis enim censetur fuisse intentio testatoris: si res in specie non fuit alicui relicta, sed in specie reperitur apud aliquem, iste tenetur ad rem solvendam, et habet jus repetendi partes ab aliis cohæredibus: si vero res promissa in specie non existit, quilibet ex hæredibus tenetur tantum pro rata (s).

(q) *Eruitur etiam ex cap.* Licet *6. de voto, et cap.* Ex parte *18. de censibus, ac L.* Si quis 2. §. 2. *D. de pollicit.*

(23) At hæres tenetur ex justitia tantum, non ex Religione.

(r) *Cap.* Licet *cit.* (s) *Argum. desumpt. ex* [art. 1173. et 1174.]

SECTIO II.

DE CAUSIS, OB QUAS DESINIT OBLIGATIO VOTI.

80. *Quibus de causis cessat voti obligatio?*

Ex pluribus causis; scilicet irritatione, dispensatione, commutatione, cessatione causæ finalis, notabili mutatione rei, lapsu temporis, solemni professione emissa in religione approbata, et condonatione illius, in cujus favorem est votum.

§. I. De Irritatione Voti.

81. *Quid est Irritatio voti?*

Est voti annullatio facta ab habente potestatem dominativam in voventem, aut in rem votam (24).

82. *Quotuplex est irritatio?*

Duplex, directa, et indirecta: prima est, quæ fit ab eo, cui voluntas voventis est subjecta: secunda est, quæ fit ab eo, cui subjecta est materia voti.

83. *Quinam possunt vota irritare?*

Directe omnes qui potestatem dominativam habent in voluntate voventis: indirecte qui potestatem dominativam habent in re vota (t). Hinc Summus Pontifex potest irritare directe vota omnium religiosorum; quia ipsorum est caput: et indirecte vota omnium fidelium. Superior regularium (etiam secundarius, absente primario) directe potest vota religiosorum; istorum enim voluntas est ei subjecta (exceptis votis, quæ fiunt ex instituto religionis, et voto de strictiori religione ingredienda (u)): et indirecte omnia vota novitiorum. Idem potest Episcopus in moniales subjectas. Idem dicendum de Abbatissis, et Priorissis, omissa contraria sententia; istis enim moniales obedientiam promittunt.

---

(24) Non requiritur caussa ad valorem irritationis. Graviter non peccat, qui absque caussa votum irritat: utrum venialiter, quæstio est.

(t) *Ex var. canon.*

(u) *Ex can.* Virgine 1. *et* Monacho 2. *causa* 20. *q.* 4. *et ex cap.* Si religiosus 27. *de elect. in* 6. *et aliunde.*

Pater (et ejus defectu avus paternus) potest directe irritare vota filiorum impuberum, ut patet ex Scriptura, et jure canon. (x): indirecte potest etiam vota filiorum puberum, quatenus sunt familiæ præjudicantia. Idem dicendum de tutore quoad pupillum (z 25).

84. An mater habeat hujusmodi potestatem?

Mater tutrix habet; quia gerit vices patris, et si tutor hac gaudet potestate, potiori ratione mater tutrix. Mater vero non tutrix indirecte potest filiorum vota irritare; nam ad ipsam etiam spectat familiæ gubernatio: utrum possit directe, dissidium est: alii negant; nullam enim in ea agnoscunt dominativam potestatem: at probabilius videtur posse; quia canones *Si in qualibet* et *Puella* loquuntur quoque de matre, et lex civilis nostri regni [art. 287. ac 288.] aliquam dat matri patriam potestatem in filios.

85. Potestne pater filiorum vota in impubertate emissa directe irritare post acquisitam pubertatem?

Quæstio est: at probabilius potest; nam vota tali implicita conditione fuerunt emissa, et pater semper pater est: sed hoc intelligendum dummodo filii acquisita pubertate talia vota non ratificaverint (26).

86. An idem sit de tutore?

Quæstio est: in nostro regno probabilius potest tutor, durante tutela, quæ durat usque ad annum vigesimum primum completum minoris [art. 311.]

87. Vir potestne irritare vota uxoris, vel uxor vota viri?

Indirecte possunt, quatenus præjudicium afferunt commercio maritali, vel familiæ gubernationi (y). Excipitur tamen vo-

---

(x) *Num. 3o. 6.* Si contradixerit pater, vota et juramenta (in ætate adhoc puellari emissa) irrita erunt : *et can.* Si in qualibet *1. et can.* Puella *2. caus. 20. q. 2. cap.* Si quis *2. de regular. alibique.*

(z) *Ex cit. can.* Puella *etc.*

(25) Sicque potest quisque superior, sive ecclesiasticus, sive civilis suorum subditorum indirecte vota irritare, si sint suæ gubernationi præjudicantia.

(26) Ut non possit irritari votum post pubertatem confirmatum, requiritur ut pubes ratificans sciat fuisse irritabile votum in impubertate editum, et de novo firmiter se obliget perinde „ ac si nunquam se obligasset.

(y) *Argum. ex canon*, Si dicat *1.* Mulier 3. Quod Deo *4. caus. 35. q. 5.*

tum a viro emissum præliandi in subsidium Terræ Sanctæ (*a*): et votum uxoris non petendi; quia uxor non obligatur ad petendum, uti aliquando obligatur maritus ob nimiam uxoris verecundiam. Directe non potest uxor viri vota irritare; nullam enim in virum habet dominativam potestatem: utrum vir directe possit uxoris vota irritare, quæstio est (27).

88. An vota legitime irritata reviviscant, quando vovens exierit a potestate irritantis?

Directe irritata non reviviscunt; nam per irritationem directam omnino extinguitur obligatio. Vota vero indirecte irritata reviviscunt, quidquid aliqui dicant: quia per indirectam irritationem non tollitur obligatio, sed tantum suspenditur ob præjudicium alterius; ideoque cessante præjudicio cessat irritatio.

§. *II. De Voti Dispensatione.*

89. Quid est Dispensatio voti?

Est absolutio, seu remissio vinculi voti facta nomine Dei ab habente potestatem jurisdictionis spiritualis in foro externo, stante justa causa (28).

(*a*) *Ex cap.* Ex multa 9. §. Quod autem *de voto, et voti redempt.*

(27) At si conjuges mutuo consensu voveant castitatem aut religionem, nequeunt vota invicem irritare; uterque enim virtualiter cedunt juri suo, *cit. can.* Quod Deo: non desunt tamen aliqui contra sentientes quoad virum. Secus esset, si uterque independenter ab altero voveret. Sic ex communi sententia non potest vir directe irritare vota ab uxore ante matrimonium emissa: sed tantum indirecte.

(28) Jurisdictio est facultas seu potestas subditos regendi atque gubernandi. Dividitur 1. in ecclesiasticam seu spiritualem, et civilem seu temporalem: prima est, quæ causas respicit ad Dei cultum animarumque salutem pertinentes: altera est, quæ circa causas sæculares versatur, et temporalem reipublicæ gubernationem. 2. Dividitur in ordinariam, et delegatam: ordinaria dicitur illa, quæ alicuiquam jure proprio competit, scilicet ratione officii, dignitatis etc. delegata vero est illa, quam quis habet non jure proprio, sed ex commissione et delegatione habentis ordinariam. 3. Vel est voluntaria, vel est contentiosa: prima exercetur in volentes, secunda in invitos, cum strepitu et processu judiciali, pro tribunali sedendo: quare prima extra proprium territorium valide, et plerumque etiam licite exercetur: secunda nequit extra proprium territorium exerceri absque expresso tacitove consensu judicis illius loci, ipsarumque partium contendentium, sicuti expresse habetur in cap. *Ut animarum* 2. de constit. in 7. Demum jurisdictio spiritualis nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiæ, et sacramentali esse potest.

90. *Dispensatio differtne ab irritatione?*

Affirmative: dispensatio enim fit nomine alieno, nempe Dei, ab habente potestatem jurisdictionis in foro externo; irritatio fit nomine proprio ab habente potestatem dominativam: prima datur, vovente consentiente; secunda, etiam eo dissentiente: ad valorem primæ requiritur causa; ad valorem secundæ causa non requiritur.

91. *Daturne in Ecclesia potestas dispensandi vota?*

Maxime; et eruitur ex fide, uti patet ex Matth. capite 18. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.*

92. *Quotuplex est ista potestas?*

Duplex; alia ordinaria, quæ alicui inest vi sui muneris; et alia delegata, quæ ex concessione superioris ordinarii accipitur (29).

93. *Requiriturne causa, ut valida sit dispensatio voti?*

Maxime; nam superiores ecclesiastici sunt inferiores in lege voti, et nulla est dispensatio inferioris sine causa legitima (*b 30*✱).

94. *In quibus votis est tantum Romano Pontifici reservata dispensatio?*

In quinque (præter vota solemnia); nempe in voto perpetuæ castitatis, ingrediendi religionem, et in tribus votis peregrinationis, scilicet Romæ ad limina Apostolorum, ad Compostellam ad visitandum sepulcrum S. Jacobi, et ad Terram Sanctam (*c*).

---

(29) Possunt in votis dispensare qui jurisdictionem habent in foro externo, ordinariam vel delegatam, aut privilegium. Omnes Confessarii Regulares possunt quorumcunque fidelium vota dispensare, ex variis pontificiis privilegiis.

(*b*) *Ex cap.* De peregrinationis *1. et cap.* Magnæ *7. de voto, et voti redempt.*

(*30*✱) Causæ ad dispensandum in voto possunt esse bonum Ecclesiæ, vel bonum commune reipublicæ, aut familiæ; damnum spirituale vel temporale occasione voti proveniens; major profectus voventis; notabilis difficultas in voti impletione; imperfectio actus, qua fuit votum emissum, puta si fuit emissum ex imperfecta deliberatione (uti sunt vota impuberum), vel sine perfecta libertate, vel ob metum levem etc. periculum proximum transgressionis etc.

Quo majus et excellentius est votum, eo major requiritur causa ad dispensandum.

Si causa non videatur sufficiens ad omnino dispensandum, admiscenda est aliqua commutatio: quod consultum est agere, etsi causa videatur sufficiens.

Si causa sit tantum pro aliquo peculiari casu, pro isto tantum valet dispensatio, v. c. si quis sit a voto castitatis dispensatus ad damnum alicujus puellæ reparandum, cum illa tantum potest matrimonium contrahere.

(*c*) *Extrav.* Etsi Dominici *5. de pœnit. et remiss. alibique.*

95. *Quot conditiones requiruntur, ut votum perpetuæ castitatis sit reservatum?*

Sequentes: ut sit certum, omnino liberum, absolutum, perfectum, integrum, perpetuum, et factum amore virtutis castitatis (✱).

96. *Quænam conditiones requiruntur, ut sit reservatum votum ingrediendi religionem?*

Plures, scilicet ut sit certum, perfectum, absolutum, et de religione approbata.

97. *Qui ad servandum votum religionem ingreditur, et ab illa expellitur, teneturne illam denuo, vel aliam ingredi?*

Si fuit expulsus culpa sua, tenetur denuo illam ingredi. Si fuit expulsus sine culpa sua, non tenetur illam denuo, neque aliam ingredi (contra aliquos), dummodo votum fuerit de illa determinata religione: si vero votum fuerit de religione non determinata, aliam ingredi tenetur (*d*✱✱).

(✱) Quare non est reservatum 1.° si est dubium. 2.° Si est emissum per metum levem ab alio incussum, vel sine perfecta deliberatione. 3.° Si est conditionatum, conditione propria, vel sit alternativum; e. g. voveo eleemosynam, vel castitatem: at post conditionem, vel electionem materiæ reservatæ utrum evadat reservatum, quæstio est: item non est reservatum si sit pœnale; etiam post culpam, quidquid aliqui dicant. 4.° Si est factum sub levi obligatione, cum non sit perfectum. 5.° Non sunt reservata vota non nubendi, non adulterandi, non fornicandi, non petendi debitum, non peccandi contra castitatem, servandi castitatem conjugalem, et similia; quia non sunt integra: sic etiam non est ex eadem ratione reservatum votum servandæ virginitatis, si intendatur tantum conservatio illius; secus vero si nomine virginitatis abstinentia intelligatur ab omni actu venereo: item non est reservatum votum castitatis post matrimonii consummationem a conjuge emissum: contra est reservatum, si cum consensu approbativo alterius conjugis renunciantis juri suo, aut ab utroque conjuge sit mutuo consensu emissum. 6.° Si est temporale. 7.° Denique si est emissum non castitatis amore, sed ob alium finem, puta ad obtinendam sanitatem etc. Sicuti etiam si quis castitatem, vel Religionem voveat ut pœnam, probabilius non est reservatum votum; nam hujusmodi votum non emittitur ex affectu ad castitatem, immo potius ex horrore erga illam. Item non est reservatum votum suscipiendi ordines sacros, et votum vovendi castitatem.

Probabilius non est reservatum juramentum castitatis vel Religionis. Excipe tamen, si juramento sit votum inclusum (quod præcipue ex intentione jurantis est inspiciendum); tunc votum erit reservatum, at non juramentum.

(*d*) *S. Antonin. in 3. part. tit. 16. cap. 2. §. 4.*

(✱✱) Qui religionem ingredi vovit, non tenetur illam extra propriam nationem, vel provinciam quærere: et si est fœmina non tenetur extra patriam, longe a suis, ut tenent DD. Excipe, si expresse vovens ad id se obligaverit.

Ex veriori sententia mortaliter peccat, nec a voto eximitur qui post ingressum

98. Quænam conditiones requiruntur, ut tria vota peregrinationis sint reservata?

Ut vota sint certa, absoluta, perfecta, et causa devotionis.

99. Potestne Episcopus dispensare in circumstantiis voti reservati, quæ substantiam non afficiunt?

Maxime; nam quoad substantiam sunt ista vota reservata, non quoad accidentia.

100. An aliquando possit Episcopus talia vota quoad substantiam dispensare?

Utique, quando nempe urget necessitas, et non facilis habetur ad Pontificem aditus (31).

101. Si votum reservatum legitime sit in aliud opus commutatum, an istud opus remaneat reservatum?

Minime, ex communiori et probabiliori sententia; quia per commutationem fuit extinctum primum votum, et materia non reservata in ejus locum successit.

§. III. *De Voti Commutatione.*

102. Quid est Commutatio?

Est substitutio unius rei pro alia.

103. Quotuplex esse potest?

Triplex; in melius, in æquale, in minus.

104. Differtne ab irritatione, et dispensatione?

Maxime: nam per irritationem, et dispensationem tollitur obligatio; per commutationem tantum mutatur: primæ duæ fieri nequeunt ab ipso vovente; commutatio in melius potest ab ipso fieri (c).

105. Requiriturne causa pro commutatione voti?

Pro commutatione in melius non requiritur; nam ipsummet opus melius est causa sufficiens: pro commutatione in minus et in æquale requiritur causa; quia est instar dispensationis (32).

---

sine gravi causa a religione egreditur: nisi in vovendo animum habuerit tantum experiendi, non vero profitendi. Idem dicendum de illo, qui religionem sibi experitur tolerabiliter incommodam.

(31) Vide dicenda in XIII. tract. num. 100. nota (35) in fine.

(c) *Ex cap.* Pervenit *3. de jurejur. et cap.* Scripturæ *4. de voto, et voti redempt.*

(32) Non desunt tamen qui dicunt, valere commutationem sine caussa etiam in

106. Quinam possunt vota commutare?

In melius ipse vovens (*f*), vel quicumque: in æquale vel minus qui habent potestatem jurisdictionis in foro externo ordinariam aut delegatam (*33*).

107. Qui habet facultatem dispensandi vota, potestne ea commutare etiam in minus?

Affirmative, quicquid aliqui sentiant; nam *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus* (*g*), præsertim in eodem genere.

108. Quinam possunt vota reservata commutare?

Summus Pontifex tantum. At omnia vota reservata possunt ab ipso vovente commutari in votum religionis; quia est omnium maximum (*h*).

109. Vi Jubilæi aut bullæ Cruciatæ possuntne commutari vota reservata?

Non possunt commutari vi Jubilæi, nisi expressa mentio fiat in ejus edicto. At possunt ex bulla Cruciatæ; nam in ista tantummodo excipiuntur vota solemnia castitatis et religionis (*34*).

110. Habentes facultatem simpliciter vota commutandi, possuntne ea commutare in minus?

Minime; nam commutatio æqualitatem denotat (*35*).

111. Possuntne commutari vota realia cum præjudicio tertii?

Minime; commutatio enim non debet alteri nocere. Solus

---

minus, modo suppleatur defectus; at probabilior mihi videtur superior sententia. Item tenent sufficere modicam caussam pro commutatione in æquale; et sine causa tantum esse venialiter illicitam.

(*f*) *Ex cit. cap.*

(33) Non desunt tamen, qui asserunt, sed minus probabiliter, posse voventem etiam in æquale votum commutare.

Probabile est quod possit vovens in voto alternativo partem jam electam cum altera commutare.

Qui potestatem, etsi delegatam, habet dispensandi, potest etiam commutare: at non contra.

Habens facultatem commutandi vota pro aliis, potest pro se commutare, prout dictum est de facultate dispensandi in III. tract. num. 83.

(*g*) *Ex reg. jur. 53. in 6.* (*h*) *Eruitur ex cit. cap.* Scripturæ.

(34) Ex bulla Cruciatæ possunt vota in minus commutari; facultas enim mixta est, scilicet dispensandi commutando.

(35) Sufficit tamen æqualitas moralis, non requiritur mathematica.

Papa (et juxta aliquos interdum etiam Ordinarius) ob publicam causam hoc potest ex plenitudine potestatis.

112. Post commutationem potestne vovens ad primum votum redire?

Maxime, nam habet rationem privilegii, cui potest vovens renuntiare (*i 36*).

113. Qui votum substitutum servare nequit, tenerturne ad primum redire?

Minime, si commutatio facta sit a superiore: quia per hujusmodi commutationem omnino extinguitur primi voti obligatio: maxime, si propria auctoritate sit facta commutatio, e contraria ratione.

§. IV. *De aliis causis, quibus desinit voti obligatio.*

114. Cessante causa finali desinitne voti obligatio.

Maxime; quia cessat voventis intentio (*k*).

115. Per mutationem materiæ cessatne votum?

Maxime, si mutatio est notabilis (uti si materia voti evadat illicita, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, vel impossibilis sive physice, sive moraliter); quia desinit esse voti materia (*l*).

116. Per lapsum temporis extinguiturne votum?

Si tempus sit appositum ad finiendam obligationem, votum extinguitur; cum sit onus illius temporis: si autem tempus appositum sit ad differendam vel sollicitandam adimpletionem, votum non extinguitur, ex contraria ratione (37).

117. Quænam vota extinguantur per professionem solemnem in religione approbata?

Omnia vota, tam realia, quam personalia, etiam reservata: sic tenent DD. ex cap. *Scripturæ* 4. de voto. Excipiuntur tamen vota realia a tertio acceptata; tertius enim per acceptationem jam acquisivit jus ad illa, cui derogari nequit.

(*i*) *Ex reg. jur.* Quod ob gratiam *61. in 6.*

(*36*) Aliqui negant, cùm commutatio est in melius; sed hoc intelligi potest tantum, si vovens nova promissione se ad melius obligavit.

(*k*) *Arg. ex cap.* Cum cessante *60. de appellation. etc.* (*l*) *Ex innum. jur. loc.*

(37) In dubio relege dicta num. 44. nota (10) in fine.

118. Extinguiturne votum per condonationem illius, in cujus favorem est emissum?

Maxime, modo omnino libera sit condonatio, et a jure non prohibita; promissarius enim juri tunc cedit suo.

CAPUT IV.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS, ET 1.° DE SUPERSTITIONE, EJUSQUE SPECIEBUS REMISSIVE.

119. Quot sunt vitia religioni opposita?

Duo, superstitio, et irreligiositas; illa per excessum, ista per defectum religioni opponuntur.

120. Quid est Superstitio?

Est vitium religioni per excessum oppositum, quo quis exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet (m).

121. Quotuplex esse potest superstitio?

Duplex, vel ex parte rei, quando cultus Deo debitus creaturis præstatur; vel ex parte modi, quando nempe Deo præstatur cultus falsus (*) aut superfluus.

122. Superstitio estne grave peccatum?

Superstitio ex parte rei est grave peccatum; gravis enim Deo irrogatur injuria, creaturis præstando cultum divinum. Superstitio ex parte modi colendi cultu falso semper grave est peccatum; quia cultus falsus graviter repugnat honori Dei: ex parte colendi cultu superfluo est veniale, nisi adsit scandalum, contemptus etc. irreverentia enim levis esse videtur.

123. Quot sunt species superstitionis?

Sunt sequentes, idololatria, divinatio, vana observantia, maleficium, et magia.

124. Quid est Idololatria?

Est servitus, quæ soli Deo debetur, exhibita alicui creaturæ.

(m) *D. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1. in corp.*

(*) Superstitionem cultus falsi committit, qui falsas Reliquias proponit, miracula fingit, vel se habuisse revelationes; etiamsi hoc faciat ad Religionem vel devotionem augendam etc. nisi ignorantia aut simplicitate excusetur.

125. Quotuplex est?

Triplex, perfecta seu formalis, minus perfecta, et simulata seu materialis: prima est illa, qua quis creaturæ exhibet divinum honorem, falso credens creaturam esse deum; hæc idololatria cùm infidelitate est conjuncta: altera est, qua quis creaturæ divinum cultum exhibet, non quia credit esse deum, sed ex pravo affectu, ut puta ex odio erga Deum etc. tertia denique est illa, qua quis cultum divinum præstat creaturæ, sed tantum exterius, ut puta metu mortis etc.

126. Idololatria estne grave peccatum?

Semper est grave peccatum; etiam simulata; quia repùgnat veræ fidei, et ést malitiosissimum mendacium, Deo maxime injuriosum, et hominibus scandalosum.

127. Estne idololatriæ species credere iis, quæ dicuntur a dæmône loquente per obsessos?

Vel dæmon est exorcismis coactus, et non est idololatriæ species; nam exorcismis cogitur ad veritatem: attamen non est semper ei credendum. Si vero non sit exorcismis coactus, et est idololàtriæ species ei credere; sic enim honoratur pater mendacii.

128. Quid est Divinatio?

Est inquisitio rei occultæ ope dæmonis.

129. Quotuplex est?

Duplex, expressa, et tacita, prout fit expressa vel tacita dæmonis invocatione.

130. Quot sunt species divinationis expressæ?

Sunt Oraculum, si fiat per idola; Divinatio somniorum, quæ dicitur Oniromantia; Præstigium, quod habetur per dæmonis apparitionem, aut alias fictas figuras; Necromantia, quæ fit per mortuos in speciem resuscitatos; Chiromantia, quæ fit per lineas manus; Geomantia, Hydromantia, Aëromantia, Pyromantia, quæ habentur per figuras apparentes in corpore terrestri, in aqua, in aëre, in igne; Haruspicina, si fit in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum; et per Pythones, quæ habetur per homines victos.

131. Quot sunt species divinationis tacitæ?

Sunt plures; nempe Observantia somniorum; Augurium,

quando fit per observationem animalium; Physiognomia, quæ fit per lineamenta corporis, puta vultus, manus etc. Astrologia, et Sortilegium.

132. Quotuplex est Astrologia?

Duplex, naturalis, et judiciaria, seu divinatoria: prima est, qua ex siderum concursu pronuntiantur effectus, qui cum illis habent connexionem naturalem: secunda est, qua ex siderum concursu futura libera prædicuntur.

133. Astrologia estne peccatum?

Naturalis non est peccatum; cum sit scientia naturalis: judiciaria est graviter prohibita ex Scripturis, traditione, et præsertim ex bull. Xysti V. *Cœli moderator*, et Urbani VIII. *Inscrutabilis*, sub excommunicatione, et pœna denuntiationis: Ecclesiastici vero incurrunt etiam privationem omnium beneficiorum, officiorum, et perpetuam inhabilitatem. Quæ tamen excomm. est Papæ reservata, si de statu christianæ reipublicæ, aut de vita et morte Rom. Pontificis per judiciariam astrologiam inquiritur; uti constat ex cit. constitut. *Inscrutabilis*, et ex constitut. Bened. XIV. *Pastor Bonus*. In eandem excommunicationem incidunt, qui tales Astrologos consulunt, vel eorum judicia aut prædictiones super præmissis recipiunt.

134. Quid est Sortilegium?

Est explorare per sortes res occultas, vel eventus futuros.

135. Quotuplicis generis sunt sortes?

Sunt triplicis generis: aliquæ dicuntur divisoriæ, quæ adhibentur ad aliquid dividendum, ut puta ad dividendam hæreditatem, ad lites dirimendas etc. aliæ dicuntur consultoriæ, et sunt illæ, quibus consulitur Dei voluntas: aliæ denique dicuntur divinatoriæ, illæ nempe, quibus quis utitur ad aliquid occultum cognoscendum ope dæmonis.

136. An sortes sint licitæ?

Divisoriæ per se sunt licitæ, imo aliquando utiles; dummodo adsit consensus partium, et earum jus sit æquale: at probibitæ sunt (n) sortes in electionibus ecclesiasticis; et idem probabilius

(n) *Cap.* Ecclesia *ult. de sortilegiis.*

dicendum de omnibus officiis ob periculum eligendi indignum, vel minus dignum. Consultoriæ etiam sunt licitæ, si sint conjunctæ cum debita reverentia, et in Deum fiducia, et adsit necessitas, scilicet quando alia deerit via: nam sine necessitate esset tentatio Dei, et quisque se exponeret periculo diabolicæ deceptionis. Divinatoriæ vero sunt semper illicitæ; quia in eis tacita intervenit dæmonis invocatio.

137. Quid dicendum de divinatione per somnia?

Somnia possunt esse vel a Deo, vel a dispositione naturali, vel a dæmone. Somniis temere credere est grave peccatum; quis enim sic illis credendo morali periculo diabolicæ deceptionis se exponit.

138. An prædictæ divinationis species sint peccaminosæ?

Affirmative, et graviter ex genere suo ob consortium, quod habetur cum dæmone, sive expressum, sive tacitum (38).

139. Quid est vana Observantia?

Est superstitionis species, qua quis adhibet vana, inutilia, ac improportionata media ad aliquem effectum obtinendum. Fieri potest cum expressa, vel cum tacita dæmonis invocatione.

140. Quot sunt species vanæ observantiæ?

Sunt tres: prima dicitur notoria; qua quis utitur vanis mediis ad scientiam aliquam sine studio comparandam: altera nominatur observantia sanitatum, quæ ad morbos depellendos, et vitam conservandam adhibetur: tertia est observantia eventuum, illa nempe, qua quis ex eventu fortuito aliquid adversi vel prosperi conjicit, et ita dirigit suas actiones.

141. Omnes species expositæ sunt peccata gravia?

Maxime; quia continent expressum vel tacitum cum dæmone commercium (✻).

---

(38) At licet ex vultu, dispositione et habitudine membrorum, ex lineis et partibus manuum naturaliter considerare alicujus temperiem; immo animi etiam affectiones et dispositiones conjectare.

(✻) Superstitiosum est, proindeque peccatum 1. Sumere aliquam potionem, vel quidvis aliud usurpare ad scientiam aliquam subito acquirendam. 2. Gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis consignata characteribus contra vulnera, vel mortem subitaneam, ne possint lædi, ne sanguis effluat, vel ad conciliandum amorem, invisibilitatem, impenetrabilitatem, fortunam, nocumenta, maleficia etc. 3. Ex casu for-

142. Quid est Maleficium?

Est modus alteri nocendi ope dæmonis.

143. Quotuplex esse potest?

Duplex, aliud veneficium, et aliud philtrum amatorium: primum est illud, quo aliquid damni alicui personæ vel ejus bonis infertur: secundum est, quo amor aut odium carnale excitatur.

144. Maleficium estne grave peccatum?

Maxime, imo triplex peccatum; per illud enim læditur religio, charitas, et justitia.

145. Licetne uti aliquibus mediis ad maleficium tollendum?

Licet uti mediis naturalibus (✠), aut supernaturalibus; ut puta exorcismis Ecclesiæ, sacramento Pœnitentiæ, Eucharistiæ etc. at nunquam licet mediis superstitiosis uti, cum sint intrinsece mala.

---

tuito de eventu conjicere, v. c. si quis egrediens pedem offendat, domum regrediatur, aliquid timens infausti. 4. Aliquos dies habere infaustos, alios vero faustos ad negotia peragenda. 5. Carminatorum benedictiones vel preces adhibere ad morbum depellendum. 6. Putare non prodesse Missas vel orationes, nisi certo numero, aut certis candelis, aut certo situ etc. 7. Si certo die festivo, puta S. Joannis, quædam adhibeantur preces, vel festo S. Mathiæ hederæ folia imponantur aquis, ut cognoscatur, cui debeant nubere etc. 8. Quibusdam precibus, imaginibus, aut characteribus, aut crucibus certam et infallibilem vim tribuere, v. c. evadendi hostes, expellendi morbos, non incidendi in infortunium, non moriendi sine prævia Confessione etc.

E converso non est superstitiosum 1. Observare lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, fructibus, purgandis corporibus, cædendis arboribus, congrediendo cum uxore etc. 2. Ferre collo vel alii corporis parti suspensa ligna, lapides, herbas, aliudve simile ad procurandam sanitatem, ne sanguis fluat etc. modo naturalis tantum rebus istis tribuatur efficacia. 3. Verba Sacræ Scripturæ, vel Reliquias gestare ad Dei tantum honorem. 4. Quoddam servare in orationibus numerum, aut simile ex licita ratione, vel ad aliquod significandum mysterium, c. c. ad quinque Christi Vulnera, ad septem Spiritus S. charismata etc. At superstitiosum esset credere eas preces non prodesse, si majori aut minori numero fierent.

Quæstio est, an detur, et sit licita virtus, sic dicta magia naturalis, in aliquibus vocatis *Salvatores*, qui signo Crucis, aut verbis sacris, aut inhiatione quibusdam medentur morbis. Sicuti est quæstio, utrum liceat usus pulveris *symphatici* (vitrioli calcinati). Probabilius datur fascinatio naturalis: ideoque est licitum aliqua naturalia adversus eam adhibere. In dubio, an aliquid operetur ex vi naturali, vel ex superstitione, juxta aliquos licet eo uti, stante necessitate, et præmissa protestatione non volendi illud, si sit superstitiosum.

(✠) Scilicet quibusdam herbis, ut salvia, ruta etc. quæ naturali virtute corrigunt pravos humores, ope Dæmonis commotos.

146. *Estne licitum tollere signum maleficii?*

Maxime; nam signi ablatio nullam secum fert dæmonis invocationem, sed ejus destruit opus: dummodo id non fiat novo maleficio, aut alio modo superstitioso (39).

147. *Quid est Magia?*

Est modus efficiendi mira.

148. *Quotuplex est?*

Duplex, naturalis, et superstitiosa: prima est modus efficiendi mira ex mera industria, absque dæmonis ope: altera est modus efficiendi mira ope dæmonis.

149. *Magia estne peccatum?*

Naturalis non est peccatum: superstitiosa est peccatum grave contra religionem.

150. *Quænam sunt pœnæ contra superstitiosos intentatæ?*

Præcipuæ sunt sequentes: Jure communi qui ariolos, aruspices, vel incantatores observat, aut phylacteriis utitur, excommunicationi subjacet, quæ probabilius est ferendæ sententiæ (o).* Jure nostræ Ecclesiæ abutentes quacumque re consecrata ad veneficia, divinationes, sortilegia, aut ad quemcunque alium usum, quam fuerint res consecratæ institutæ, incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam; in quam incidunt etiam dantes, et recipientes rem sacram ad prædictos fines, etiam abusu non secuto; ex casu 2. in tabella. In eamdem excommunicationem incidunt omnes, qui dæmoni spondent obsequium, thus, et sacrificia offerunt; aut condunt aut condere faciunt imagines, annulos, aut quodvis artefactum, in quo dæmonem constringunt; ex tertio casu in tabella. Item incidunt in hanc excommunicationem omnes, qui expressa dæmonis invocatione ad quemcunque finem utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, aut ligaturis, et etiam qui scienter in præfatis cooperantur, aut quocunque modo consentiunt: ex 4. casu in tabellà * (*).

---

(39) Ex eadem ratione licet ponere contrarium signum positivum, ex se tamen honestum: v. c. si Dæmon est pactus se nociturum, quandiu maleficiatus se cruce non signet, aut suum corpus non lavet, licet se signare, lavare etc.

(o) *Can.* Si quis ariolos 1. *caus.* 26. *q.* 5.

(*) Si quem magum, divinatorem etc. Confessarius deprehenderit, debet illum

CAPUT V.

DE BENEFICIIS.

Irreligiositas vitium est per defectum Religioni oppositum, quo cultus debitus Deo negatur, aut læditur. Irreligiositatis species sunt Tentatio Dei, Blasphemia, Perjurium, Violatio voti, Sacrilegium, Simonia. De istis speciebus jam dictum est in superioribus tractatibus: remanet tantum de Simonia aliquid dicendum. At quia in beneficiis præsertim Simonia committi solet, consulto censui hoc caput sequenti ponere prævium, in quo de beneficiis datur compendiaria cognitio.

151. *QUid est Beneficium?*

Est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum (*p*).

152. *Quotuplex est beneficium?*

Multiplex: et 1. aliud est sæculare, et aliud regulare, prout pro Clericis sæcularibus vel regularibus est institutum. 2. Aliud est duplex, et aliud simplex: primum est illud, quod adnexam habet curam animarum, aliquam dignitatem, præeminentiam, jurisdictionem in foro externo etc. alterum est, quod solum onus fert recitandi divinum officium, vel faciendi sacrum etc. 3. Beneficium est vel collativum seu liberum, vel patronatum, vel

---

examinare: 1. De specie superstitionis. 2. De fine, quo se tali superstitioni addixerit, an ratione vehementis passionis, tristitiæ, avaritiæ, vindictæ etc. 3. Utrum inciderit in hæresim, apostasiam, infidelitatem, ut puta Christum vel Deum abnegando, Sacramentis renunciando, dæmonem habendo pro Deo, vel sancto, nec damnatum aut miserum putando etc. 4. De blasphemiis contra Deum aut Sanctos; de sacrilegiis commissis, si rebus sacris sit abusus, ut aqua benedicta, oleo sancto, Eucharistia etc. 5. Utrum habuerit luxuriam, vel commixtionem cum dæmone. 6. De damnis proximo illatis. Dein debet eum obligare: 1. Ut pactum expressum, si quod habet cum dæmone, aut commercium abjuret et dissolvat: 2. Ut libros, schedulas, ligaturas, aliaque comburat artis instrumenta: 3. Ut comburat chirographum, si habet: si vero solus dæmon istud habeat, non est necessario cogendus, ut reddat; quia pactum per pœnitentiam sufficienter dissolvitur: 4. Ut reficiat, si qua sint damna proximo illata.

(*p*) *Ex cap.* Cum secundum *16. de præbend. etc. atque aliunde.*

electivum, seu ecclesiasticum: collativum dicitur illud, quod confertur per absolutam et liberam superioris voluntatem: patronatum dicitur; quod a superiore confertur per præsentationem patroni: et electivum, quod confertur per suffragia electorum, accedente superioris confirmatione (q 40).

153. *Quibus sunt beneficia conferenda?*

Si beneficium est curatum, conferendum est dignioribus; sic constat ex Trid. (*) et ex prop. 47. ab Innoc. XI. damnata (**): si vero est simplex, probabilius et communius est etiam dignioribus conferendum. Sed beneficia patrimonialia, quæ nempe personis alicujus familiæ sunt conferenda, possunt conferri idoneis illius familiæ, quamvis adsint extranei digniores (✻41).

(q) *Ex plur. canon.*

(40) Quare triplici modo acquiruntur beneficia; per liberam nempe collationem superioris; vel per præsentationem patroni, accedente auctoritate superioris; vel per electionem suffragantium a superiore confirmatam.

(*) Sess. 24. de reformatione cap. 1. *alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ... præfici diligenter curaverint.*

(**) *Cum dixit Concilium Trid.* eos alienis peccatis etc. *Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur, quando fit concursus.*

(✻) Cæteris paribus dignior est 1. senior: 2. qui de suis bonis fundavit Ecclesiam: 3. Sacerdos in concursu non Sacerdotis: 4. originarius respectu extranei: 5. graduatus in aliqua scientia; 6. majori sanctitate aut prudentia præditus: 7. potens et nobilis: 8. denique pauper diviti est præferendus.

(41) Electio digni in beneficiis curatis, omisso digniori, probabilius est valida, sed omnino illicita: in beneficiis non curatis est valida, at probabilius illicita. Digniori tamen conceditur adpellatio, si adfuit concursus. Discrepant DD. utrum eligens dignum, omisso digniori, restituere teneatur damnum illatum ipsi digniori, aut Ecclesiæ: probabilius tenetur, si adest concursus. Si vero eligatur indignus, tam elector, quam electus tenentur ad damnum Ecclesiæ.

Qui se manifeste agnoscit indignum concurrens cum digno, peccat mortaliter, et acceptando beneficium tenetur damnum Ecclesiæ resarcire, necnon beneficium resignare. Videtur autem probabilius, non peccare dignum, neque ad restitutionem teneri, si cum digniori concurrat, et beneficium acceptet.

Probabilius est teneri examinatores Episcopo digniores denuntiare.

Notetur, quod examinatores debent juramentum præstare de servanda fidelitate in eorum officio, *Trid. sess. 24. de reform. cap 18.* alias concursus est nullus, *S. C. Conc. die 2. Decemb. 1626.*

154. Quænam qualitates requiruntur, ut quis sit ad beneficium idoneus?

Sequentes: 1. ætas præscripta; 2. status clericalis; 3. ut sit ex legitimo matrimonio natus; 4. cælibatus; 5. probitas morum; 6. scientia sufficiens pro qualitate beneficii; 7. immunitas ab impedimento canonico; 8. animus perseverandi in statu clericali, nisi aliter ex justa causa advenerit (r).

155. Quænam ætas requiritur ad beneficia recipienda?

Si beneficium est simplex, requiritur ætas 14. annorum: ad canonicatum in Cathedralibus, et ad quodcunque beneficium aliquem ordinem habens adnexum requiritur ætas, ut electus infra annum ad talem ordinem ascendat: pro dignitatibus ætas 22. annorum completorum: pro beneficiis curatis ætas vigintiquinque annorum: pro Episcopatu requiritur ætas 30. annorum: pro Pœnitentierato denique ætas 40. annorum (s 42).

156. Potestne Episcopus dispensare in ætate ad beneficia requisita?

Minime, sed tantum Summus Pontifex (t).

157. Peccatne, qui beneficium recipit animo non perseverandi in statu clericali?

Peccat graviter contra præceptum Ecclesiæ, si beneficium adnexum habet ordinem sacrum: et si beneficium est curatum, tenetur ad restitutionem fructuum ante judicis sententiam (u). Si verum beneficium est simplex nullum habens adnexum sacrum ordinem, probabilius peccat leviter; nullo enim jure constat hujusmodi deordinationem esse gravem (43).

158. Quot modis amittuntur beneficia?

Pluribus modis (x), scilicet per mortem beneficiarii; per li-

---

(r) *Innumer. loc. jur.*

(s) *Trid. sess. 22. de reform. cap. 4. sess. 23. de reform. cap. 6. et sess. 24. de reform. cap. 12. atque aliis loc. jur. can.*

(42) Deficiente ætate etiam quoad horam unam, provisio beneficii est nulla, ita communiter.

(t) *Ex variis cap. tit. de ætate, et qualit. et ord. præficiend.*

(u) *Ex cap.* Commissa *35. de elect. in 6.*

(43) Hæc omnia mitius sunt de eo dicenda, qui animo dubio vel conditionato beneficium recipit.

(x) *Plurim. canon.*

beram resignationem coram Superiore eam acceptante; per aliud beneficium incompatibile (44); per sententiam judicis ob crimen tali pœna dignum; et ex dispositione juris, veluti per matrimonium, per professionem religiosam etc. (45)

---

(44) Beneficia incompatibilia sunt ea, quæ nequeunt esse simul in eodem subjecto. Horum alia sunt primi generis, alia secundi generis. Primi generis sunt beneficia curata, uniformia sub eodem tecto (quæ nempe ad easdem functiones concurrunt eodem loco et tempore), dignitates, personatus, et officia. Dignitates sunt, quæ aliquam habent jurisdictionem super Clerum vel populum; ut Episcopatus, Abbatia, Decanatus, Præpositura, Archipresbyteratus, Archidiaconatus etc. Personatus dicuntur, qui præeminentiam habent, absque jurisdictione; ut sunt munera Primicerii, Præcentoris sive Cantoris, Sacristæ primarii etc. Officia sunt munera, quibus aliqua tantum adnexa est administratio, sine jurisdictione, et sine præeminentia; uti sunt munera Thesaurarii, Præceptoris, Custodis seu Sacristæ inferioris, OEconomi etc. Incompatibilia secundi generis sunt Canonicatus, et omnia quæ residentiam requirunt.

Qui duo obtinet beneficia incompatibilia primi generis, obtento secundo, ipso jure vacat primum: et si utrumque retinere præsumat, ipso quoque jure utroque privatur, uti certo est cautum pluribus can. et Trid. sess. 7. de reform. cap. 4. et sess. 24. de reform. cap. 17. Utrum idem sit de incompatibilibus secundi generis, non convenit inter doctos: alteri, forte melius, affirmant: alteri negant, sed ajunt cogendum esse beneficiarium ad alterutrum beneficium remittendum.

Potest tamen Summus Pontifex in hoc dispensare in aliquo casu evidentis necessitatis vel utilitatis, *ex cit. sess. 7. cap. 5.*

Idem probabilius et communius tenendum est de omnibus beneficiis etiam simplicibus, si quis beneficium habens ad suam congruam sustentationem sufficiens, sine causa cohonestante aliud recipiat.

(45) Jure antiquo omnes beneficiarii ad residentiam, nempe commorari in loco beneficii personaliter tenebantur, *ex innum. loc. can.* At nunc temporis ex generali totius Ecclesiæ consuetudine beneficia simplicia personalem residentiam non requirunt, *ex communi, et ex declar. S. Congreg. et Rotæ apud Zerola, Card. Seraphin. et alios*: nisi fundatores, aut aliquod statutum, vel consuetudo peculiaris expressa ad hoc obligarent, *ex plur. resolut. Rotæ, et signanter in Calaguritana de Navarret 10. Jun. 1588. et in Cæsaraugustana 4. Jun. 1660.* Jure etiam novissimo curatum beneficium habentes ad residentiam personaliter obligantur, et probabilius de jure divino, *ex Trid. sess. 23. de reform. cap. 1.* et *bulla.* Ubi primum *Bened. XIV. anno 1740. die 3. Decemb. edita.* Sic etiam ad residentiam obligantur omnes qui in Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, canonicatus, portiones, præbendas obtinent, *Trid. sess. 24. de reform. cap. 12.*

Episcopis est concessum per duos vel tres menses in singulis annis æqua de causa abesse, *dict. sess. 23. cap. 1.* Parochi abesse possunt per bimestre ex causa per Episcopum cognita et approbata, idoneo vicario substituto, ab ipso Ordinario approbando: ultra bimestre non possunt, nisi ex gravi causa, et cum licentia Episcopi, *Trid. cit. sess. 23. et cap. 1.* Canonicis etc. non licet abesse ultra tres menses quolibet anno, *cit. sess. 24. et cap. 12.*

Episcopi ex veriori sententia residere possunt in quocumque loco suæ diœcesis,

159. Quid est pensio?

Est delibatio quædam beneficii, qua ex eo, quod universum beneficiarii foret, pars quædam alicui confertur (*y*).

160. Quotuplex est pensio?

Triplex, laicalis, clericalis, et mixta (46): prima est, quæ ob aliquam temporalem causam constituta laico etiam potest competere: altera est, quæ soli Clerico datur ob spirituale ministerium, e. g. coadjutori Episcopi, vel Parochi etc. tertia denique est illa, quæ datur Clerico titulo temporali, puta ob impotentiam, paupertatem etc. (47)

161. Quid est jus patronatus?

Est jus nominandi, seu præsentandi Clericum idoneum ad beneficium ecclesiasticum vacans (*).

---

ex Trid. sess. 23. cap. 1. et cit. bulla Ben. XIV. Ubi primum. Parochi in domo suæ Ecclesiæ, si adest: aliter in domo Ecclesiæ propinqua, *ita communiter.*

Causæ Episcopos et Parochos a residentia excusantes quatuor assignantur a Trid. *loc. cit.* nempe christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ aut reipublicæ utilitas. Hujusmodi causæ pro Episcopis a summo Pontifice, *ibid. et ex bulla Bened. XIV.* Ad universæ *3. Septemb. 1746.* pro Parochis ab Ordinario, *Trid. ibid.* approbandæ sunt. Quid veniat per dictas causas lege sis B. Alf. Lig. lib. 4. cap. 2. dub. 1. art. 4. Lucium Ferrar. verbis *Episcopus* art. 3. *Parochus* art. 2. et *Canonicus* art. 5. aliosque. Eædem causæ assignari possunt pro Canonicis, vide Ferrar. cit. verbo *Canonicus.*

Variæ sunt pœnæ contra beneficiarios absentes a jure statutæ, quæ legi possunt apud B. Alf. Lig. Lucium Ferrar. loc. cit. aliosque auctores.

Præsertim notetur, quod Episcopi, et Parochi absentes ultra tempus concessum ipso jure non faciunt suos fructus pro rata temporis absentiæ, et tenentur in conscientia restituere, sine ulla alia declaratione, et illos erogare in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes loci beneficii, *cit. sess. 23. et cap. 1.* Canonici vero primo anno privandi sunt dimidia parte fructuum, quos etiam ratione residentiæ fecerunt suos; secundo anno omnibus fructibus; amplius crescente contumacia aliis can. pœnis coërcendi sunt, *sess. 24. cap. 12. et ex variis canon.* et possunt ipso beneficio expoliari, *ex variis can.*

Residentiæ non satisfacit, qui corpore præsens, animo absens ovium vel Ecclesiæ curam negligit, *Trid. dict. sess. 23. cap. 1. et bulla* Grave *Bened. XIV. 21. Augusti 1744.*

Quomodo beneficiarii ad horas canonicas teneantur, dicetur in XII. tract. num. 106. et sequent. ac not. subject.

(*y*) *Duarenus lib. 6. de sacris Eccl. minist. cap. 4.*

(46) Alio nomine dicuntur temporalis, spiritualis, et media.

(47) Qui pensionem clericalem obtinet, recitare tenetur officium B. Mariæ V. alias suos non facit fructus, *ex bulla S. Pii V.* Hoc tamen intelligitur, si pensionarius non sit in sacris, recitans officium majus, aut Religiosus, qui preces recitat a Religione præscriptas.

(*) Potest esse ecclesiasticum, vel laicale, vel mixtum, prout pertinet ad Ecclesiam, vel ad laicum, vel ad utrumque.

162. *Quibus modis acquiritur jus patronatus?*

Tribus modis, fundatione nempe, ædificatione, et dotatione (z).

163. *Quibus modis ab uno in alium transfertur?*

Quadruplici modo, successione, donatione, permutatione, et translatione rei cui adhæret (a). At in donatione et permutatione requiritur consensus Episcopi: excipe tamen, si donatio vel permutatio sit cum Ecclesia aut Monasterio (b 48).

164. *Quibus modis amittitur?*

Sequentibus: si patronus rectorem aliumve clericum ecclesiæ suæ addictum occidat, vel mutilet: si ecclesia ita diruta sit, aut beneficium ita collapsum, ut nullus amplius clericus in eo constitui possit: 3. non usu istiusmodi juris (c).

165. *Quid est permutatio beneficii?*

Est mutua et reciproca beneficiorum resignatio inter beneficiatos.

166. *Quot conditiones ad permutationem requiruntur?*

Plures; 1. ut beneficium sit proprium; 2. ut adsit causa sufficiens ab Ordinario examinanda; 3. ut fiat auctoritate legitimi Superioris.

167. *Quid est resignatio beneficii?*

Est spontanea beneficii dimissio auctoritate Superioris facta.

168. *Quotuplex esse potest?*

Duplex, conditionata, vel pura, prout aliqua conditione et pacto, vel absque fit.

169. *Quid est transactio in beneficio?*

Est pactio non gratuita de re dubia et incerta in beneficio ad litem dirimendam.

(z) *Glossa in can.* Piæ mentis 26. *caus.* 16. *q.* 7. (a) *Idem. ibid. et alibi.*

(b) *Cap.* Quod autem 5. *cap.* Illud prætereundum 8. *de jurepatr. et cap.* Si laicus *un. eod. tit. in* 6. *aliubique.*

(48) Beneficio vacante, patronus tenetur intra quatuor menses idoneum præsentare, si patronatus est laicalis, *ex cap.* Quoniam 3. *de jure patron. et cit. cap.* Si laicus §. 1. intra sex menses, si patronatus est ecclesiasticus, *cit. cap.* Si laicus: et etiam intra sex, si est mixtus, ut ajunt DD. Intra hoc tempus si non fiat præsentatio, beneficium fit liberum pro ea vice.

(c) *Cap.* In quibusdam 12. *de pœnis, ex Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 7. *aliisq. locis.*

CAPUT VI.

DE SIMONIA.

170. *Quid est Simonia?*

Est studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pretio temporali (*d* 49).

171. *Quotuplicis generis esse possunt res spirituales?*

Quadruplicis generis: aliquæ dicuntur spirituales essentialiter, uti sunt virtutes supernaturales, fides, spes etc. aliæ sunt spirituales causaliter, veluti sacramenta etc. aliæ effective, uti absolutio a censuris, dispensatio in voto etc. et aliæ denique sunt spirituales per adnexionem (*e*).

172. *Quotuplici modo res possunt esse spirituales per adnexionem?*

Triplici modo: 1. antecedenter, quando nempe temporale præcedit spirituali; uti vestes sacræ, jus patronatus etc. 2. concomitanter, quando simul habetur temporale et spirituale, sicuti labor intrinsecus in administratione Sacramentorum, in Sacrum faciendo etc. 3. denique consequenter, nempe quando spirituale temporali præcedit; uti est jus percipiendi fructus beneficii etc. (*f*).

173. *Quid venit nomine pretii temporalis?*

Non solum pecunia, sed quidquid pecunia est æstimabile (*g*): quare distinguitur munus a manu, munus a lingua, et munus ab obsequio (*h* 50).

174. *Quotuplex est simonia?*

Multiplex est: et 1. alia est de jure divino, alia de jure ecclesiastico: prima est prohibita, quia mala; secunda est mala, quia prohibita: in prima non potest Summus Pontifex dispensare, cum sit intrinsece mala; in secunda potest dispensare, cum sit prohibita tantum de jure ecclesiastico. 2. Dividitur in men-

(*d*) *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 1.

(49) Verbis *emendi aut vendendi* intelligitur omnis datio vel acceptio onerosa spiritualis pro temporali, vel contra.

(*e*) *Ex Act.* 8. *et innum. canon.* (*f*) *Ex plur. canon.*

(*g*) *Ex Act. loc. cit. variisq. canon.* (*h*) *Can.* Sunt nonnulli 24. *caus.* 1. *q.* 1.

(50) Tunc per *munus a lingua*, vel *ab obsequio* simonia committitur, cum pro istis aliquid temporale esset solvendum, vel pactum adest pro istis dare spirituale.

talem, conventionalem, realem, et confidentialem: mentalis est illa, quæ mente tantum intenditur, at nullo externo signo, seu pacto manifestatur: conventionalis, quando adest pactum: realis, quæ traditione perficitur; quod si traditio sit ex parte utriusque, dicitur realis perfecta; si ex parte unius, dicitur semirealis: confidentialis tandem est species conventionalis, et illa quæ committitur in beneficiis cum certa confidentia et pacto in eodem beneficio.

175. Quotuplici modo committi potest simonia confidentialis?

Quadruplici modo, per accessum nempe, per ingressum, per regressum, per pensionem. Per accessum habetur, quando inhabili confertur jus, ut, quando fuerit capax, beneficium ingrediatur; interim beneficium confertur habili, cum pacto et confidentia, ut illud dimittat, quando inhabilis fit habilis. Per ingressum habetur, quando quis beneficium sibi collatum ante possessionem alteri resignat, servato sibi jure ingrediendi possessionem beneficii, si ille moriatur, vel alio modo beneficium dimittat. Per regressum est, quando quis beneficium, quod possidet, alteri cedit cum pacto regrediendi illud, si forte iste pensionem non solvat, beneficium dimittat etc. Per pensionem denique habetur, quando quis suum beneficium alteri renuntiat cum pacto explicito aut implicito solvendi sibi vel alteri aliquam pensionem ex eodem beneficio (*i*).

176. Quo jure est prohibita simonia?

Omni jure: jure naturæ; quia sancta sancte tractanda sunt: jure divino, uti habetur ex Matth. 10.8. *Gratis accepistis, gratis date*: jure ecclesiastico, sicuti patet ex innumeris canonibus, et pœnis.

177. Simonia estne peccatum grave?

Est grave peccatum contra religionem; æstimatur enim res spiritualis pretio temporali (**k*).

178. Daturne in simonia parvitas materiæ?

In simonia de jure divino non datur; semper enim gravis in-

(*i*) *Ex bulla* Intolerabilis *S. Pii V.*

(**k*) Constat præcipue ex D. Petri verbis Act. 8. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri etc.* et can. *Reperiuntur* 7. caus. 1. q. 1. atque can. *Patet* 27. caus. 1. q. 7. et aliunde.

juria est Dei donum pretio temporali vendere, aut emere: imo per parvitatem rei temporalis magis vilipenditur res spiritualis. In simonia de jure ecclesiastico probabilius datur parvitas materiæ; quia reipsa non adest injuria rei spiritualis, sed tantum peccatum contra Ecclesiæ præceptum.

179. An omnes simoniaci canonicis sint pœnis obnoxii?

Minime, sed tantum simoniaci reales in professione religiosa, in ordinibus, et in beneficiis; et simoniaci confidentiales (*l*).

180. An simoniaci semireales in professione etc. incidant in pœnas?

Vel simonia est completa tantum ex parte rei temporalis, et non incidunt; quia non adhuc indigne est tractata res spiritualis. Vel simonia completa est tantum ex parte spiritualis, et quæstio est: aliqui affirmant, cum jam sit res spiritualis indigne tractata: alii negant, et quidem rationabilius; quoniam non habetur delictum perfectum ad incurrendas pœnas requisitum (*51*).

181. In quas pœnas incidunt simoniaci reales in professione religiosa? (*m*)

Dantes et recipientes temporale incidunt in excommunicationem Papæ reservatam (*52*): Capitulum, si consenserit, in suspensionem ab officiis capitularibus etiam Papæ reservatam: utraque pars incurrit infamiam juris, proindeque irregularitatem: simoniace scienter professus in aliud strictius monasterium detrudendus est ad perpetuam pœnitentiam: superior, aliique majores monasterii suspendendi sunt, et in strictius monasterium detrudendi. At omnes istæ pœnæ incurruntur, si sequatur professio; cum nempe delictum sit completum, secundum probabiliorem sententiam.

(*l*) *Ex var. jur. canon. loc.*

(*51*) At si ex utraque parte promissi portio sit tradita, perfecta intelligitur simonia.

(*m*) Sequentes pœnæ contra simoniacos eruuntur ex cap. *Veniens* 19. *Matthæus* 23. *De regularibus* 25. *Nobis fuit* 27. *Dilectus* 30. *Quoniam* 40. et *Si quis* 45. de simon. ex extravag. *Sane* 1. et *Cum detestabile* 2. eodem, ex bullis *Sanctum* Xysti V. *Romanum Pontificem* Clem. VIII. item *Romanum Pontificem* Pii IV. *Cum primum* ac *Indolerabilis* S. Pii V. et aliunde.

(*52*) Permulti dicunt hujusmodi excommunicationem non esse usu receptam. Vide B. A. Ligor. lib. 3. tract. 1. num. 108.

182. In quas pœnas incidunt simoniaci reales in ordinibus?

Ordinans, ordinatus, mediatores, et procuratores incidunt in excommunicationem Papæ reservatam: ordinans in suspensionem a cujuscunque ordinis collatione, etiam primæ tonsuræ per triennium; in suspensionem ab executione omnium munerum pontificalium, et interdictum ab ingressu Ecclesiæ: ordinatus incidit in suspensionem cujuscunque ordinis (juxta aliquos intelligitur tantum ordinis simoniace suscepti), et spe privatur ascendendi ad ordines majores.

183. Utrum incurrantur istæ pœnæ, si simonia habeatur in prima tonsura?

Quæstio est: at probabilius non incurruntur; quia prima tonsura non est ordo.

184. In quas pœnas incidunt simoniaci reales in beneficiis?

Eligens, præsentans, constituens, confirmans, recipiens beneficium, mediatores, et procuratores incidunt in excommunitionem Papæ reservatam: collatio beneficii est nulla, sicuti et præsentatio, provisio etc. fructus percepti sunt restituendi: et electus, seu provisus fit inhabilis ad idem beneficium (53).

185. Potestne Episcopus dispensare in hac inhabilitate?

Minime, uti patet ex cap. *Nobis fuit* 27. de simon. et cap. *Si alicujus* penult. de elect. Excipitur, si sit beneficium simplex, beneficiarius illud susceperit bona fide, et veniens in malam fidem illud resignaverit in manu Episcopi: ex cit. cap. *Si alicujus*.

186. In quas pœnas incidunt simoniaci confidentiales?

Qui sunt Episcopis inferiores, incidunt in excommunicationem Papæ reservatam: Episcopi, vel Episcopis superiores incidunt in interdictum ab ingressu Ecclesiæ: resignatio et collatio beneficii est irrita: provisus ipso facto fit inhabilis ad idem beneficium; et ad alia adquirenda, sed post sensentiam judicis, juxta probabiliorem sententiam: qui recipit beneficium vel pensionem in confidentiam, incidit in privationem aliorum beneficiorum et pensionum rite obtentarum: beneficia in confidentiam

(53) Sic etiam nulla est omnis simoniaca electio ad prælaturam, dignitatem etc. ante judicis sententiam; etiamsi simonia sit occulta, vel ab electo ignorata, *plur. can.*

collata et obtenta reservantur Sedi Apostolicæ: et fructus Cameræ Apostolicæ sunt applicandi.

187. Ad incurrendas hasce pœnas requiriturne, ut simonia sit completa ex utraque parte?

Minime; sed sufficit, ut beneficium sit datum et acceptum tali pacto; quamvis recipiens beneficium intentionem habeat pactum non adimplendi (*n*).

188. Estne restituendum temporale acceptum pro traditione rei spiritualis?

Maxime; nullus enim adest titulus, neque jus illud retinendi.

189. Cuinam est restituendum?

Ante traditionem rei spiritualis est illi restituendum, qui dedit; cum non sit adimpletum pactum, quo datum est. Post traditionem vero dandum est Ecclesiæ vel pauperibus ex consuetudine (*o* 54): est quæstio inter Theologos, utrum sit restituendum ante, vel post sententiam judicis.

190. Estne restituenda res spiritualis simoniace accepta?

Si est beneficium vel officium ecclesiasticum, est restituendum ante judicis sententiam; quia collatio fuit nulla (*p*): vel sunt alia, et non sunt restituenda; tradens enim habet potestatem tradendi ea, et recipiens capacitatem recipiendi.

191. Potestne vendi temporale, cui est spirituale adnexum?

Quatenus est spirituale, non potest vendi: quatenus est temporale potest vendi, dummodo nulla adsit Ecclesiæ prohibitio, et spirituali non sit temporale concomitanter adnexum.

192. Num sit simonia dare temporale in gratuitam compensationem rei spiritualis, vel e contrario?

Maxime: omnis enim compensatio pretio est æstimabilis; et contrarium est damnatum (*).

(*n*) *Ex verbis bullæ* Intolerabilis *S. Pii V.* Etiamsi sola intentione dimittentis recceperit.

(*o*) *D. Thom. cap. 12. de simon.*

(54) Probabilis quoque sententia tenet, danti esse restituendum; quia, cum recipiens fuerit incapax, dominium apud dantem remansit.

(*p*) *Extravag. cit.* Cum detestabile, *et bulla* Cum primum.

(*) Ab Innoc. XI. prop. 45. *Non est simonia, ... quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali; aut e contrario.*

193. Num sit simoniacum dare temporale tanquam motivum ad obtinendum spirituale, vel contra?

Affirmative; quia semper datur temporale pro spirituali, et e contrario: quod patet etiam ex prop. eadem 45. et prop. 46. ab eodem Pontifice damnatis (*✠).

194. Estne simonia vendere beneficium ecclesiasticum, et de quo jure?

Est simonia, et quidem de jure ecclesiastico juxta nonnullos; quia jus est percipiendi aliquid temporale: juxta alios, et quidem probabilius, est de jure divino; quia fundatur in officio spirituali.

195. Potestne beneficii collator illæsa justitia exigere aliquid temporale, quia confert beneficiato emolumentum temporale?

Minime; ipse enim non est dominus beneficii, et jus percipiendi fructus non est pretio temporali æstimabile, cum sit in titulo spirituali fundatum; et oppositum est ab Alex. VII. damnatum (***55*).

(*) Primæ propositionis verba sunt: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.* Verba secundæ prop. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis etc.*

(✠) Ex communi sententia, per textum in cap. *Tua nos* 34. de simonia, non est Simonia dare vel præstare temporale sub spe consequendi spirituale, modo non intendatur principaliter et primario, sed solum secundario et minus principaliter, et modo nullum intercesserit pactum vel conditio: uti esset, si clericus famulatum præstet Episcopo intendens principaliter et primario gratiam Prælati, vel cognitionem suæ habilitatis apud ipsum etc. ac inde secundario speret consequi beneficium; secus si principaliter et primario intenderet beneficii consecutionem. In hoc tamen caute est agendum.

Non est simonia, saltem ex parte dantis, dare temporale infideli, ut recipiat fidem et baptismum; hæretico, vel peccatori, ut convertatur; juveni, ut fiat clericus; dotem puellæ, ut fiat monialis, et hujusmodi: hoc enim cedit, non in commodum dantis, sed solum in spiritualem utilitatem recipientis.

(**) Prop. 22. *Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

(*55*) Patroni nihil possunt a præsentatis exigere, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum, *cap.* Sicut nobis *2. de supplenda negligentia prælat. et cap.* Præterea *23. de jure patron.*

196. *Estne simonia dare aliquid temporale collatori ex mera gratitudine?*

Minime; nam donum gratuitum non est pretium (*q* 56).

197. *An sit simonia dare temporale ad tollendam vexationem in beneficio?*

Si vexatio est justa, est simonia; quia datur temporale pro spirituali (*r*). Si vero vexatio est injusta, et habetur jus in re, non est simonia; quia datur temporale non pro re spirituali, sed pro evitanda injuria (*s*): vel non habetur jus in re, sed tantum ad rem, et subdistinguitur: si temporale datur illi, qui potest obesse et prodesse, est simonia; quoniam datur temporale illi, qui potest prodesse ad spirituale obtinendum (*t*): si autem datur illi, qui potest tantum obesse, non est simonia; temporale enim datur non ad beneficium recipiendum, sed ad iniquas machinationes depellendas (57).

198. *Quando jus dicitur in re, et quando ad rem?*

Dicitur in re jus jam acquisitum, puta per collationem, institutionem etc. dicitur ad rem jus proxime acquirendum, ut puta per præsentationem, concursum etc.

199. *Quinam dicitur posse obesse et prodesse?*

Quicumque potest per se impedire et juvare; uti elector, institutor, præsentator etc.

200. *Quinam dicitur posse tantum obesse?*

Quicumque falsa accusatione, denuntiatione etc. potest so-

(*q*) Patet etiam ex can. *Sicut Episcopum* 4. caus. 1. q. 2. et capit. *Etsi quæstiones* 18. *Dilectus* 30. de simon. et aliunde.

(56) Non licet tamen ex dispositione juris etiam mere gratis oblata acceptare 1.° examinatoribus synodalibus a concurrentibus pro parochia nec ante, nec post concursum, *Trid. sess. 24. de reformat. cap. 18.* 2.° pro collatione ordinum, *idem sess. 21. de reformat. cap. 1.* 3.° pro recognitione, aut expeditione indulgentiarum.

(*r*) *Ex cit. cap.* Matthæus, *et cap.* Sicut tuis 33. *de simon.*

(*s*) *Cap.* Dilectus *28. de simon.* (*t*) *Cit. capit.* Matthæus *et* Sicut tuis.

(57) Probabilius licet pecunia redimi vexatio circa beneficii possessionem, dummodo sit certum jus ad possessionem acquisitum: quia est vexatio circa factum possessionis, quod est temporale. Contra probabilius est simonia aliquid dare competitori, ut ad beneficium concurrere desistat; quia concurrere ad beneficium non est injusta vexatio.

lum impedire; sicuti esset ipse elector etc. qui falsum denuntiat, tanquam persona privata.

201 *Poterne quis dare aliquid spirituale ad tollendam injustam vexationem?*

Minime; quia daretur spirituale pro temporali.

202. *Estne simoniaca venditio pensionis?*

Venditio pensionis clericalis est simoniaca; nam pensio clericalis induit rationem beneficii: venditio pensionis mixtæ est simoniaca de jure ecclesiastico; uti constat ex praxi Curiæ Romanæ, quæ hujusmodi venditiones tamquam simoniacas damnat: venditio pensionis laicalis non est simoniaca; pensio enim laicalis nihil spirituale continet.

203. *Num sit simonia vendere jus patronatus?*

Maxime, saltem de jure ecclesiastico (*u*).

204. *Estne simoniaca transactio in beneficiis?*

Absque dubio est simoniaca, quando datur temporale pro beneficio; quia datur temporale pro spirituali (*x*): si vero datur spirituale pro spirituali extra beneficia, non est simonia; in beneficiis est simonia, si fiat auctoritate privata, cum sit a jure prohibita (*y*).

205. *Num sit simoniaca permutatio beneficii?*

Maxime, si fiat auctoritate privata; quia in permutatione semper habetur proprium commodum (*z*).

206. *Utrum beneficii resignatio simoniaca sit?*

Resignatio absoluta non est simoniaca: conditionata est simoniaca; conditio enim est quoddam pactum pretio æstimabile. Excipitur, si conditio sit a superiore approbata.

207. *An possit adesse simonia in omissione actus spiritualis?*

Vel ista omissio est actus jurisdictionis, uti esset negatio absolutionis, et est simonia; quia exercetur actus spiritualis ob temporale: vel non est actus jurisdictionis, et non est simonia; nam omissio operis spiritualis non est aliquid spirituale.

(*u*) Quod patet ex cap. *De jure* 16. de jure patron.

(*x*) *Cap.* Cum pridem *4. de pactis.* (*y*) *Ex cap.* Super eo 7. *de transaction.*

(*z*) *Ex Clement.* Ne concessione *unic. de rerum permutat.*

208. *Num sit simonia dare aliquid ministro nolenti in necessitate ministrare?*

Minime, omissa contraria opinione; datur enim temporale ad tollendam injustam vexationem (58).

209. *Estne simonia suscipere ordines ad obtinendum beneficium, et præsertim ob ejus reditus?*

Maxime est simonia mentalis; quia per rem spiritualem via intenditur sterni ad bonum temporale.

---

(58) Non est simoniacum aliquid accipere pro labore extrinseco in Sacramentis ministrandis, in Sacro faciendo, in concionando, catechizando etc. puta si Sacerdos deberet celebrare cum cantu, vel tali loco, vel tali hora, et simili: sicuti etiam si pro labore intrinseco aliquid accipiat, non uti prætium, sed uti stipendium suæ sustentationis: immo licitum est de hoc stipendio pacisci, dummodo non excedatur taxa, vel consuetudo.

TRACTATUS VIII.

DE RESTITUTIONE.

Inter cetera moralis doctrinæ documenta ea magis fidelibus, et multo magis ipsis Confessariis scitu necessaria censentur, quæ ad virtutem justitiæ attinent. Quapropter meliori, qua possumus, diligentia et claritate de illis tractamus. Et quia justitia in restitutione, et contractibus præsertim effulgere debet; merito de restitutione hic agimus, de contractibus in sequenti tractatu.

CAPUT I.

ALIQUÆ DANTUR PRÆLUDIALES NOTIONES.

1. *Quid est Justitia?*

Justitia, prout hic accipitur, est constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi (*a*).

2. *Quotuplex est justitia?*

Triplex, commutativa, distributiva, et legalis: prima est, quæ inclinat hominem privatum ad reddendum alteri privato, quod ei debetur; hæc servat æqualitatem arithmeticam, et dicitur ordinare partes ad partes: altera est quæ inclinat superiorem ad distribuenda præmia et pœnas juxta merita subditorum; hæc servat proportionem geometricam, et dicitur ordinare totum ad partes: tertia denique est illa, quæ inclinat subditum ad præstanda ea omnia, quæ communitati debita sunt in ordine ad bonum commune; hæc ordinat partes ad totum (*1*).

(*a*) *Ulpian. in l.* Justitia *10. pr. D. de just. et jur.*

(*1*) Adest etiam justitia vindicativa, illa nempe quæ inclinat ad puniendum reum pro qualitate delicti: hæc quoad judicem pertinet potius ad justitiam commutativam, quoad principem ad distributivam.

3. *Quid est jus?*

Jus, ut hic sumitur, est legitima facultas in aliqua re (*b*).

4. *Quotuplex est?*

Duplex, jus in re, et jus ad rem: jus in re, seu reale est illud, quod fundatur in ipsa re, sive per quod res ipsa manet obligata: jus ad rem est illud, per quod persona obligatur ad rem tradendam. Ex primo oritur obligatio realis, ex secundo personalis (*c*).

5. *Quid est dominium?*

Est jus libere disponendi de aliqua re tanquam sua per omnes usus a lege permissos (*d*).

6. *Quotuplex est dominium?*

Dominium aliud est altum, seu supremum, aliud humile: altum est facultas, quam suprema potestas habet, disponendi de re et actione subditorum ob bonum commune: humile est, quod habent personæ privatæ ad sua bona, actiones etc. Dominium humile vel est plenum, vel semiplenum: plenum est jus rem possidendi, ea utendi, fruendi, et de ea libere disponendi: semiplenum est jus vel quoad rem solam, et dicitur dominium directum, seu nudæ proprietatis; vel quoad solos fructus ac emolumenta, et vocatur dominium utile, seu ususfructus (2).

7. *Quomodo acquiritur dominium?*

Acquiritur aut jure gentium, seu naturali, aut jure civili: præcipui acquirendi modi jure gentium sunt *occupatio*, *accessio*, *et traditio;* modi acquirendi jure civili sunt *successio*, *donatio*, *obligationes*, *accessio*, *et præscriptio* (*e*).

8. *Quid est occupatio?*

Est rei nullius, quæ fieri privata potest, corporalis adprehensio animo sibi habendi (*f* 3).

(*b*) *Ex var. ll. et canon.* (*c*) *Ex plur. jur. loc.* (*d*) *Ex variis jur. loc.*

(2) Adest etiam dominium jurisdictionis, de quo vide tract. VII. num. 89. not. (28).

(*e*) [*art.632.et633.*] *et ex innumeris ll. jur. rom.*

(*f*) *Cavall. instit. jur. rom. lib. 2. tit. 1. §. 22.*

(3) Species occupationis sunt tres, venatio (quo et aucupium, et piscatio spectant), occupatio bellica, et inventio. Hæc omnia in nostro regno jure civili moderantur.

9. Quid est accessio?

Est illa, qua res aliqua rei nostræ accedens nobis acquiritur (*g*).

10. Quotuplex est?

Triplex, naturalis scilicet, industrialis, et mixta, prout vel a natura, vel ab arte, vel ab utraque provenit (*4*).

11. Quid est traditio?

Est possessionis datio (*h*).

12. Quotuplex est traditio?

Triplex, vera scilicet, seu realis, ficta, et symbolica. Prima est ipsius rei naturalis translatio, prout ipsius rei natura patitur. Secunda est, quando rei traditio interposita fingitur, quæ revera non intervenit; veluti si res ex aliqua causa prius tradita, sine alia traditione ex nova causa tradita fingatur. Symbolica denique est, si absque vera rei traditione aliquid fit, quod ex communi hominum instituto traditionem demonstrat; uti si claves cellæ vinariæ tradantur, vinum ipsum traditum censetur.

13. Quid est possessio?

Est detentio alicujus rei, vel juris (*i*).

14. Quotuplex est?

Triplex esse potest; *naturalis* seu *facti*, quando nempe facto possidetur: *civilis* seu *juris*, quando possidetur animo cum juris adminiculo: et *mixta*, quando nempe possidetur facto, et animo cum juris adminiculo.

15. An sola traditio sufficiat ad transferendum dominium?

Minime; sed requiritur etiam titulus (*5*).

16. Quid est titulus?

Est causa per se habilis ad transferendum dominium; veluti emptio venditio, donatio etc.

(*g*) *Cavall. loc. cit.* §. 30.

(*4*) Species accessionis naturalis sunt *fætura*, *insula in flumine nata*, *alluvio*, *vis fluminis*, *alvei derelictio*, *et confusio*. Industrialis accessionis species sunt *specificatio*, *adjunctio*, *et commixtio*. Mixtæ denique species sunt *plantatio*, *satio*, *et fructuum perceptio*. Quomodo hæc omnia ordinantur a lege nostri regni, vide in Cod. noviss. part. 1. lib. 2. tit. 2. cap. 1. et 2.

(*h*) *Ex l.* Ratio *3. pr. de act. emt. et l.* Si rem *28. de verbor. oblig. Cujacius 11. obs. 19.*

(*i*) [*art. 2134.*]

(5) Imo ex Cod. noviss. solo titulo plerumque dominium transfertur [*art. 1092. et alibi.*]

17. Quotuplex esse potest?

Duplex, verus scilicet, et coloratus: verus dicitur, ex quo de facto dominium transfertur: si vero causa per se esset sufficiens ad dominium transferendum, sed ob aliquod impedimentum se tenens vel ex parte tradentis, vel ex parte recipientis, vel ex parte ipsius rei, vel ex parte modi, de facto dominium non transfertur, tunc titulus dicitur coloratus.

18. Quid est obligatio?

Est juris vinculum, quo necessitate adstringimur ad aliquid faciendum, vel præstandum, vel patiendum (*k 6*).

19. Quotuplex est obligatio?

Triplex esse potest, naturalis nempe, civilis, et mixta. Naturalis est illa, quæ solo nititur æquitatis naturalis vinculo; at nullam parit actionem in foro exteriore; uti obligatio tradendi quod est in ludo amissum. Civilis est quando actionem parit in foro exteriore tantum; at nullo nititur æquitatis naturalis vinculo; uti sunt obligationes in præsumptione facti, facto non existente. Si vero obligatio et naturali vinculo nititur, et exterius habet legis firmamentum, tunc dicitur mixta (7).

20. Unde obligationes oriri possunt?

Obligationum præcipuæ causæ sunt contractus, quasi-contractus, delictum, quasi-delictum, et legis auctoritas (*l 8*).

(*k*) *Pr.* Nunc transeamus *Inst. de obligation.*

(*6*) De aliis dominium acquirendi modis jure civili in suis locis erit sermo.

(7) Exposita distinctio a Theologis potius, quam a Jctis est desumpta ad faciliorem captum.

Actio est *jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, pr. Inst. de actionibus:* seu est modus et medium, quo id, quod nostrum est, aut nobis debetur, in judicio obtinere possimus. Actioni opponitur exceptio, quæ est *actionis exclusio*, *L. 2. pr. D. de exceptionibus.*

Obligatio naturalis tenet in conscientia, dummodo non sit a lege abolita: nam, una ferme excepta actione, ceteros juris effectus producit, *l. 1. §. 7. D. de pecunia constituta et l. 1. §. 1. D. de novationibus.*

Aliud est obligationem omnino abolere, et aliud actionem simpliciter negare: in primo casu nulla adest obligatio; in secundo casu adest obligatio naturalis, quamvis sine externa actione.

(*l*) §. Sequens 2. *Institut. de obligation. et* [*art. 1324.*]

(*8*) Quid sit contractus videbitur in proprio sequenti tractatu. Quasi-contractus sunt facta licita, quibus etiam ignorantes obligantur ex consensu vel ob æquitatem,

21. *Quomodo extinguuntur obligationes?*

Extinguuntur solutione, novatione, remissione voluntaria, compensatione, confusione, amissione rei, rescissione contractus, effectu conditionis resolutivæ et præscriptione (*m* 9).

22. *Quid est injuria?*

Injuria, seu injustitia est violatio juris alieni.

23. *Quotuplex esse potest?*

Materialis, et formalis: materialis dicitur, quando quis destruit, accipit, vel retinet rem alienam illæsa conscientia, idest, prudenter existimans id sibi licere, vel rem esse suam: formalis dicitur, quando quis destruit, accipit, vel retinet rem alienam læsa conscientia, sciens nempe, vel cum scire possit et debeat id sibi non licere, vel rem esse alienam.

24. *Quid est culpa?*

Est factum inconsultum, quo alteri nocetur.

25. *Quotuplex est?*

Duplex, vel theologica, vel juridica: theologica est peccatum mortale, aut veniale; juridica est omissio debitæ diligentiæ.

26. *Quotuplex esse potest culpa juridica?*

Triplex, lata, levis, et levissima: lata est omissio diligentiæ, quam homines diligentes ejusdem status et conditionis adhibere solent pro qualitate rei: levis est omissio diligentiæ, quam

---

vel ob utilitatem, vel ob factum antecedens præsumpto; quisque enim præsumitur in id consentire, quod utilitatem affert; et nemo præsumitur velle cum damno alterius locupletior fieri; et qui vult antecedens, etiam quod sequitur, velle videtur, *Cavall. lib. 3. tit. 28. §. 1.* In jure Romano sex erant præcipuæ quasi-contractuum species, nimirum negotiorum gestio, tutela, administratio rei communis, aut communis hæreditatis, aditio hæreditatis, et indebiti solutio. Delictum (seu crimen) in hoc genere est factum, quo quis dolo vel culpa (idest juridica) lædit jus alterius: si adest dolus dicitur delictum verum; si adest culpa sine dolo quasi-delictum vocatur. Delicto autem duo insunt, scilicet ipsius actus vitiositas, et damnum alteri illatum; quorum illi pœna, huic damni reparatio respondet.

(*m*) [*art. 1187.*]

(9) Novatio est prioris debiti in aliam obligationem translatio, *l. 1. pr. D. de novation.* Triplici modo potest haberi, vel quando veteri debito novum substituitur, vel veteri debitori novus debitor, vel veteri creditori creditor novus [*art. 1225.*] Confusio habetur, quando creditoris, et debitoris qualitates in eadem persona uniuntur, [*art. 1254.*] De aliis modis obligationis extinguendæ sermonem instituemus, prout se præbebit occasio.

diligentiores etc. levissima est omissio diligentiæ, quam diligentissimi etc. solent adhibere (*n*).

27. *Quid est dolus?*

Est studium nocendi, seu omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita (*o*).

28. *Quid est casus?*

Est eventus a divina providentia (vel ab alia causa libera) profectus, cui resisti non potest (*p*); utpote qui prævideri vel vinci nequit.

29. *Quid est damnum?*

Omnis diminutio nostri patrimonii.

CAPUT II.

EXPONUNTUR GENERALIA PRINCIPIA DE RESTITUTIONE.

30. QUid est Restitutio?

Est actus justitiæ commutativæ, quo res debita domino redditur, vel reparatur ad æqualitatem damnum proximo illatum (*).

31. *Ex cujus justitiæ læsione oritur obligatio restitutionis?*

Ex læsione justitiæ commutativæ; restitutio enim intendit ponere æqualitatem, quod proprium est justitiæ commutativæ. Ex hac ratione restitutionis obligatio potest oriri etiam ex læsione justitiæ distributivæ, vel legalis, quando nempe istæ conjunctam habent commutativam; veluti si adsit pactum, promissio etc.

32. *Ex quanam injuria oritur restitutionis obligatio?*

Semper ex formali; aliquando etiam ex materiali, uti in possessore bonæ fidei: sed cum aliqua diversitate, ut infra dicetur.

(*n*) *Ex variis juris locis.* (*o*) *L.* Hoc Edicto *1. §. 2. D. de dolo malo*, *aliubique.*

(*p*) *L.* In rebus *18. pr. D. commodati*, *et alibi.*

(*) Restitutio differt a satisfactione; omnis enim restitutio est satisfactio, et non e contrario: restitutio fieri debet secuto damno in bonis fortunæ; satisfactio etiam damno non secuto in iisdem bonis: restitutio fit tantum hominibus; satisfactio etiam Deo. Differt etiam a solutione; quia restitutio fieri solet de eadem re; solutio de re diversa: non omnis solutio est restitutio, nec omnis restitutio est solutio: e. g. qui votum adimplet, solvit, non restituit; qui vero reddit depositum, restituit, non solvit.

33. *An sola injuria sufficiat ad restitutionis damni obligationem inducendam?*

Minime; sed requiritur etiam culpa, et damnum secutum (q).

34. *Ex quanam culpa oritur restitutionis damni obligatio?*

Extra contractus et officia ex culpa theologica; quisque enim rationabiliter est invitus damnum pati ex peccato alterius (r): in contractibus et officiis ex culpa juridica; jus enim, ad quod tenentur contrahentes, et officia sustinentes, sic statuit.

35. *An omnis culpa theologica extra contractus et officia obliget ad damni restitutionem?*

Minime; sed tantum culpa externa, contra justitiam commutativam, efficax, seu influxiva damni, et requiritur, ut damnum revera sequatur.

36. *Qui dat operam rei illicitæ, ex qua præter intentionem agentis damnum sequitur, teneturne ad restitutionem?*

Vel damnum est operi conjunctum, quatenus agens prævidet, vel prævidere potest et debet damnum inde secuturum, et tenetur ad damnum; quoniam indirecte vult illud: aliter non tenetur e contraria ratione.

37. *Teneturne ad restitutionem, qui actionem licitam ponit, ex qua damnum alteri obvenit?*

Si quis eam ponit ex necessitate vel utilitate post adhibitam diligentiam, non tenetur; quia utitur jure suo (*s): aliter tenetur, omissa contraria sententia; proximus enim jus habet, ne sine justa causa damnum ei inferatur.

38. *An ex culpa theologica levi obligatio oriatur restitutionis?*

Si culpa est levis parvitate materiæ, ex ea oritur obligatio restitutionis; quia infertur injuria sufficiens ad parvam restitutionem. Si vero culpa est levis ex imperfecta advertentia, vel imperfecto consensu, quæstio est: alii probabilius et communius negant, quoniam talis culpa non meretur pœnam restitutionis: alii dicunt oriri quoad partem damni pro rata culpæ, ne da-

---

(q) *Ex var. utriusq. jur. loc.* (r) *Cap.* Si culpa *fin. de injuriis et damno dato.*

(*s) *Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo*, cap. *Cum ecclesia* 31. de elect. l. *In summa* 2. §. 9. D. de aqua et aquæ pluv. arc. et l. *Quo naufragium fit* 3. §. 7. D. de incendio etc. alibiq.

mnificatus innocens totum patiatur damnum. Ad quam partem damnificans obligatur sub gravi vel levi, prout erit materia: at secundum alios nunquam ad hanc partem damnificans obligari potest sub gravi, ex eo quia ex levi culpa oriri nequit gravis obligatio.

39. *Quid si dubitetur utrum grave damnum sit ex culpa gravi, aut levi secutum?*

Censendum est ex culpa gravi; causa enim præsumitur effectui æqualis.

40. *Ex quanam culpa juridica oritur obligatio restitutionis in contractibus?*

Ex culpa levissima, si contractus est in favorem committentis culpam: ex lata, si est in favorem alterius contrahentis: ex levi, si est in favorem utriusque. Id enim postulat æquitas, ut, ubi majus habetur commodum, major apponatur diligentia (*t* *10*). Excipitur precarium, quod quamvis sit in favorem recipientis, iste tamen tenetur tantum de culpa lata, et dolo (*u*).

41. *Ex quanam culpa juridica quisque tenetur ad restitutionem in officio et arte?*

Ordinario tenetur ex culpa lata solum; nemo enim adhibere tenetur majorem diligentiam, quam homines diligentes adhibere solent. Si vero sit mercede conductus, tenetur etiam de culpa levi: sic etiam tenetur de levi vel levissima, si ad istam se obligavit.

42. *An etiam in conscientia ex sola culpa juridica in contractibus et officiis oriatur obligatio restitutionis?*

Quæstio est: B. Ligorius probabile judicat requiri etiam culpam theologicam.

43. *An aliquando extra contractus et officia oriatur obligatio restitutionis ex culpa juridica?*

Maxime, et quando culpa tam est lata, ut æquiparetur dolo; ista enim in se continet culpam theologicam (*x*).

44. *Danturne casus in quibus sine ulla culpa quis tenetur ad damnum?*

Maxime ex dispositione juris: et 1. pater, et post patris mor-

(*t*) *Ex variis juris locis.*

(*10*) Juxta aliquos non est perpetua exposita doctrina de præstatione culpæ pro modo utilitatis perceptæ. Vide pro re Jacobum Gothofredum in leg 23. D. de regul. jur.

(*u*) *L.* Quæsitum est *8.* §. 3. *D. de precar. alibiq.* (*x*) [*art* 1337.]

tem mater tenentur pro damnis illatis a filiis minoribus cum eis morantibus. 2. Domini pro damnis illatis a servis in exercitio operum, ad quæ illos domini occuparunt. 3. Præceptores, et artium magistri tenentur pro suis alumnis et addiscentibus tempore, quo isti sunt sub eorum vigilantia. Sed omnes prædicti non tenentur, si probent se non potuisse factum impedire. 4. Proprietarius animalis, aut qui animali utitur tempore usus ad damna ab animali illata. 5. Denique proprietarius ædificii ad damna ædificii ruina proventa, dummodo ruina advenerit ex defectu reparationis, aut ex vitio constructionis (*y 11*).

45. *Quo jure facienda est restitutio?*

De omni jure; omnia enim jura clamant non lædendum jus alienum.

46. *Præceptum restitutionis est affirmativum, an negativum?*

Est affirmativum includens negativum; jubetur enim restituere, quia prohibetur retinere alienum.

47. *An peccet, qui animum habet non restituendi?*

Maxime, et juxta aliquos toties peccat, quoties interrumpuntur actus interni, vel quoties se præfert occasio restituendi, et non vult.

48. *Ex quanam necessitate tenemur ad restitutionem?*

Quoad intentionem de necessitate medii; quia sine hac intentione quisque moratur in habituali peccato: quoad ipsam executionem de necessitate præcepti (*z* ✠).

49. *Quot sunt radices restitutionis?*

Præcipuæ sunt quinque, 1. res accepta, 2. injusta acceptio, 3. delicta vel quasi-delicta, 4. contractus vel quasi-contractus, 5. legis auctoritas. Ex re accepta tenetur possessor bonæ fidei: ex injusta acceptione possessor malæ, vel dubiæ fidei antecedentis: ex contractu vel quasi-contractu contrahentes, vel quasi: ex

(*y*) [*art. 1338. 1339. et 1340*].

(*11*) Eadem fere omnia erant sancita pluribus H. rom.

(*z*) *Levit. 6. 2. etc. Ezech. 33. 15. etc. et can.* Si res aliena *1. pr. caus. 14. q. 6.*

(✠) Regulariter non est absolvendus debitor, nisi prius restituat, quando ipsi restitutio est moraliter possibilis: nam satis est experientia compertum, debitores rarissime post absolutionem restituere. Excipe, si Confessarius prudens deprehendat debitorem sincere paratum esse restituere, cum primum poterit.

delicto vel quasi-delicto delinquentes; ex legis auctoritate tenentur, qui etiam sine proprio facto ad restitutionem ex legis dispositione obligantur; uti sunt expressi num. 44.

CAPUT III.

DE POSSESSORE BONÆ, VEL MALÆ FIDEI.

50. *Quinam dicitur possessor bonæ fidei?*

Ille qui illæsa conscientia accipit vel retinet rem alienam, prudenter existimans esse suam (*a*).

51. *Quinam dicitur possessor malæ fidei?*

Dicitur ille, qui læsa conscientia accipit vel retinet rem, sciens, vel cum scire possit et debeat esse alienam (*b*).

52. *Ad quid tenetur possessor bonæ fidei in malam veniens fidem?*

Tenetur ad rem: si extat; quia tenetur de re accepta: si res non extat, tenetur ad id, in quo factus est ditior ex re aliena; tunc enim res existit in virtute: potest servare se indemnem; quia sine sua culpa nullam ferre debet jacturam ex re aliena; quare non tenetur ad damna, neque ad lucrum cessans domino rei: denique potuit præscribere (*c*).

53. *Quando dicitur factus ditior?*

Quando consummando rem alienam pepercit rebus suis; seu quando reperitur plus possidere ex re aliena.

54. *An possessor bonæ fidei in re empta domino restituenda possit ab eo exigere pretium pro re solutum?*

Minime; dominus enim non tenetur denuo emere rem suam (*d*): sed actionem de evictione habet contra venditorem. (12)

55. *Ad quid tenetur possessor malæ fidei?*

Ad rem, si extat; et si non extat ad æquivalens: ad ser-

(*a*) *L.* Bonæ fidei *109. D. de verb. signif. et l.* Possideri 3. §. *21. et 22. D. de adquir. vel amitt. possess. can.* Si virgo 5. *caus. 34. q. 2. et alibi.*

(*b*) *Ex loc. cit.* (*c*) *Plur. ll. et canon.* (*d*) *L.* Mater 3. *C. de rei vindicat.*

(12) Si vero rem emerit a mercatore talium rerum, vel in nundinis, vel venditio publice peracta sit, dominus rei non potest illam e manu possessoris evincere, nisi ei pretium solvat [*art. 2186*].

vandum dominum indemnem, nempe tenetur ad damna, et lucra cessantia; cum sit injusta causa damni, vel cessati lucri: et non potest præscribere.

56. Quid si res apud possessorem pereat?

Possessor bonæ fidei ad nihil tenetur, etiamsi sua culpa res perierit; iste enim tenetur de re accepta, et potest servare se indemnem. Possessor malæ fidei tenetur ad æquivalens; quia debet dominum servare indemnem (*e*).

57. Danturne casus, in quibus possessor bonæ fidei tenetur ad rem, si pereat, vel ad lucrum cessans, vel ad damnum emergens?

Maxime: et 1. si veniens in malam fidem ex mora culpabili rem non restituat; quia tunc evadit possessor malæ fidei (*f*). 2. Si sit successor universalis possessoris malæ fidei; quia defuncti repræsentat personam (*g*).

58. Teneturne possessor malæ fidei ad restitutionem rei apud ipsum deperditæ, quæ æque apud dominum peritura fuisset?

Inter varias Theologorum discrepantes rationes ita rectius est dicendum: Si res apud malæ fidei possessorem sua culpa seu injuria periit, ipse tenetur ad rei restitutionem; quoniam injusta est perditionis causa. Si vero apud possessorem res periit absque sua culpa, quæstio est: aliqui dicunt teneri possessorem ad restitutionem; quia jam contraxit onus restituendi: alii negant, et forte probabilius; quia etiam apud dominum si res permansisset, damnum esset secutum (*13*); alii denique tenent, si res eodem casu fortuito periisset apud dominum, non teneri possessorem ad restitutionem (*h*): si vero res etiam periisset apud dominum, sed non eodem casu, teneri possessorem ad restitutionem (*14*). In dubio vero melior est conditio innocentis, nempe domini.

(*e*) [*ex art. 1333*]. (*f*) *Ex can.* Si virgo 5. *caus. 34. q. 1. et 2. et* [*art. 1256*].

(*g*) *L.* Cum heres 11. *D. de divers. temporal. præscription. et* Litigator 2. *C. de fruct. et litium expensis, et alibi.*

(*13*) Convenit cod. noviss. part. 1, art. 1256. At res furata quocumque modo pereat, fur tenetur ad restitutionem valoris, ex cit. art.

In hoc casu possessorem obligarem, quando dominus modum haberet rem recuperandi apud seipsum alterius injuria deperditam.

(*h*) *Argum. ex l.* Si vehenda *ult.* §. 1. *D. ad legem Rhod. de jactu.*

(*14*) Inter tot Theologorum discrimina securior via est compositionem suadere possessorem inter et dominum.

59. *Quid si res peritura erat apud dominum, et quia ablata fuit, non perit; postea apud possessorem malæ fidei sine sua culpa perit, attamen apud dominum non esset peritura, tenéturne possessor ad restitutionem?*

Maxime, relicta aliquorum sententia; nam post periculi evasionem statim res ad dominum pertinebat: quare damnum postea sequitur ex injuria illata, quia non fuit res domino reddita.

60. *Quid si res apud possessorem malæ fidei deterioratur etiam sine sua culpa?*

Si dominus rem erat conservaturus usque ad deteriorationis tempus, et res apud eum etiam esset deteriorata, possessor non tenetur nisi ad rem deterioratam; quia non fuit revera causa deteriorationis: aliter tenetur ad rem integram, cum ipse sit causa damni.

CAPUT IV.

DE POSSESSORE DUBIÆ FIDEI.

61. *Quinam dicitur possessor dubiæ fidei?*

Ille qui recipit rem dubitans, an sit aliena; vel postquam rem acquisierit, dubitare cœpit. In primo casu dicitur possessor dubiæ fidei antecedentis; in secundo casu possessor dubiæ fidei consequentis.

62. *Ad quid tenetur possessor dubiæ fidei?*

Adhibere diligentiam: si post diligentiam dubium non deponitur, si est possessor dubiæ fidei antecedentis, tenetur rem restituere pro rata dubii. Si vero est possessor dubiæ fidei consequentis, potest totam rem sibi retinere, quidquid alii in contrarium sentiant; nam iste, præter æquales rationes ex utraque parte dubii, habet pro se jus certum actualis possessionis; et lex ei favet, uti patet ex reg. juris 65. in 6. decretal. *In pari caussa potior est conditio possidentis* (i 15).

(i) *Et l.* Ait prætor *1. ac l.* Justa *2. D. uti possidetis, alibiq.*

(15) Secundum aliquos tenetur possessor pro rata excessus, si validiores sint ra-

63. *An possessor dubiæ fidei tempore investigationis possit uti re, vel ejus fructibus?*

Vel res est usu consumptibilis, et non potest; quia frustra adhiberet diligentiam. Vel res non est usu consumptiblis, et potest, dummodo sit paratus pretium usus solvere.

64. *Peccatne, si diligentiam non adhibeat?*

Maxime; quia se exponit periculo retinendi rem alienam. Immo si ob diligentiæ omissionem eo devenerit, ut nequeat amplius veritatem agnoscere, juxta aliquos tenetur rem restituere pro rata spei, quam dominus habere poterat ad rem, ob injuriam ei illatam, de quo dubitabat.

65. *Quid si quis dubitans, num res sit sua, eam aufert a possessore bonæ fidei?*

Iste peccat ob injuriam possessori illatam, et tenetur rem possessori restituere; quia in dubio et pari casu melior est conditio possessoris.

66. *An peccet, qui cum dubia fide rem aliquam accipit?*

Si rem accipit animo restituendi domino apparenti, non peccat; quia beneficium domino præstat: aliter peccat ob malam intentionem contra justitiam.

67. *An possit iste pretium, quod ipse pro re solvit, a domino repetere rem ei restituendo?*

Potest tantum repetere pretium vile; negotium enim agit domino utile: et si res domino erat perchara, tunc potest pretium exigere etiam supremum; quia negotium quoque utile ei gerit.

68. *De qua culpa tenetur, qui animo restituendi domino rem accipit?*

De culpa lata tantum; quoniam agit in favorem domini.

69. *Quid si quis certus de debito dubitat de ejus solutione?*

Tenetur debitum solvere; nam debitum certum non extinguitur per solutionem incertam. Non desunt qui dicunt istum non teneri ad totum: quod magis valet, si creditor etiam dubitat de jure suo.

---

tiones contra eum: at probabilius hoc negatur. Contra ad totum tenetur, si sint tenues ejus rationes, quicquid aliqui dicant.

Ex dictis sequitur, quod possessor dubiæ fidei consequentis possit de re disponere uti possessor bonæ fidei: tenetur tamen de dubio monere, si in alium rem transferat.

CAPUT V.

DE RESTITUTIONE FRUCTUUM.

70. *Quid venit nomine fructus?*

Omnis utilitas, quæ ex re aliqua colligi potest, deductis expensis.

71. *Quotuplicis generis sunt fructus?*

Quadruplicis generis, naturales nempe, industriales, mixti, et civiles: naturales dicuntur illi, qui ex ipsa natura proveniunt, vel sine, vel cum parvo labore (*k*): industriales, qui proveniunt ex industria, et labore (*l*): mixti, qui partim ex natura, partim ex labore proveniunt: civiles denique illi, qui percipiuntur ex occasione alicujus rei; uti sunt pensiones, pretium locationis domus, prædii, vectura jumentorum etc. (*m*) Isti civiles ceu naturales considerantur a DD.

72. *An teneatur possessor bonæ fidei ad fructus restituendos ex aliena re perceptos?*

Tenetur ad restituendos naturales, et mixtos ex ea parte, qua sunt naturales; quia sunt fructus rei, et rem sequuntur (*n*): si tales fructus non extant, tenetur ad id, in quo factus est ditior. Hoc intelligitur, dummodo illos perceperit, et non præscripserit (*o*). At lege civili possessor bonæ fidei facit suos fructus perceptos, dummodo possideat uti proprietarius, et justo titulo (*p*).

73. *Ad quos fructus restituendos tenetur possessor malæ fidei?*

Ad fructus naturales, et mixtos ex parte qua sunt naturales, sive extant, sive non; quamvis ipse non percepit, et dominus percepisset; quamvis dominus non percepisset, et ipse percepit: sic etiam tenetur ad fructus industriales, quos dominus

(*k*) *L.* Fructus *45. D. de usuris etc.* [*art.508*].

(*l*) *L.* Bonæ fidei *48. D. de adquir. rer. dominio*, et Si ejus *78. D. de rei vindicat.* [*art.cit.*]

(*m*) *L.* Prædiorum *36. D. de usuris etc.* [*art.509*]. (*n*) [*art.471.et 472*].

(*o*) *Plur. jur. loc.* (*p*) *L. cit.* Bonæ fidei *pr.* [*art.474.et 475*].

percepisset, quamvis ipse possessor illos non percepit; quia debet dominum servare indemnem (q 16).

74. *An possessor malæ fidei teneatur restituere fructus, quos illicite percepit, vel quos ipse non percepit et dominus illicite percepisset?*

Tenetur restituere fructus naturales, et mixtos ex parte, qua sunt naturales; quia licite poterat eos dominus percipere. Ex eadem ratione tenetur etiam ad industriales, quos dominus cum peccato tantum percepisset: ad industriales vero, quos dominus ex peccato percepisset, non tenetur; dominus enim nullum habet jus ad illos (17).

CAPUT VI.

DE EXPENSIS A POSSESSORE IN RE ALIENA FACTIS.

75. Q*uotuplicis generis esse possunt expensæ?*

Triplicis generis: aliæ sunt necessariæ, illæ nempe, sine quibus res non conservaretur, vel deterioraretur: aliæ dicuntur utiles, quibus res redditur pretiosior, et utilior: aliæ denique appellantur voluptuosæ, quæ tantum ad ornatum et recreationem inserviunt (r).

76. *An possessor sive bonæ sive malæ fidei possit retinere expensas in re aliena factas?*

Uterque potest expensas necessarias, et utiles (18) retinere; quia cedunt in bonum domini, et alias dominus reportaret commodum ex restitutione (s): at non tenetur dominus rei ad ex-

---

(q) *Plur. ll. et canon.*

(16) Ex dictis patet discrimen inter possessorem bonæ fidei, et possessorem malæ fidei quoad fructuum restitutionem.

(17) Dicuntur fructus ex peccato percepti, quando peccatum tantum est eorum causa: dicuntur cum peccato, quando peccatum comitatur tantum fructuum perceptionem.

(r) *L.* Utiles *39. D. de heredit. petit.*

(18) Quidquid aliqui sentiant de possessore malæ fidei pro expensis utilibus.

(s) *L.* Domum *5. C. de rei vindicat.* et Plane *38. D. de heredit. petitione*, et alibi [art.1335].

pensas voluptuosas, nisi aliquam utilitatem ex eis colligat; quoniam inutiles ei sunt (t 19).

77. *Quid si res apud dominum esset meliorata, vel conservata absque expensis?*

Possessor bonæ fidei potest illas retinere; cum possit seipsum indemnem servare: possessor malæ fidei non potest illas retinere; quia tenetur servare dominum indemnem.

78. *Dominus debet expensas solvere, prout fuerunt factæ, an vero prout est utilitas?*

Si expensæ excedunt utilitatem, debet dominus illas solvere, prout est utilitas; æquum enim non est, ut dominus solvat quod non cedit in sui commodum: si vero utilitas excedit expensas, illas debet restituere, prout fuerunt factæ; quia excessus utilitatis est fructus rei (u).

CAPUT VII.

DE CONCAUSIS RESTITUTIONIS.

79. *Quot esse possunt restitutionis Concausæ?*

Novem præcipuæ hisce versiculis contentæ (x):

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans,
Mutus, Non-obstans, Non-manifestans.

80. *An omnes istæ concausæ eodem modo ad damna concurrant?*

Minime; sed primæ sex concurrunt ad damna (primæ quatuor moraliter, alteræ duæ physice) ponendo actionem, quam ex justitia prohibentur ponere; quare dicuntur causæ positivæ: ultimæ tres ad damna concurrunt non ponendo actionem, quam ponere tenentur ex justitia; unde causæ negativæ vocantur.

(t) *L.* Utiles *cit.* §. 1. *et alibi.*

(19) Possunt tamen a possessore auferri, si absque rei detrimento tolli possunt, *cit. l.* Utiles.

(u) *Cap.* Requisivit 1. *de in integr. restitut. cap.* Ad nostram 11. *de reb. Eccles. alien. vel non*, *l.* Paulus 29. §. 2. *D. de pignor. etc. l.* Domus 58. *D. de legat.* 1. [*arg. ex art.* 1703].

(x) *Ex D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. *in corp.*

SECTIO I.

DE MANDANTE.

81. QUinam *veniunt per verbum* Jussio?

Omnes qui mandant ad inferendum alteri damnum.

82. *Quid est mandatum?*

Est contractus, quo quis gratis (20) in se suscipit onus aliquid faciendi in gratiam alterius.

83. *Quotuplex esse potest mandatum?*

Multiplex: et 1. est vel generale, vel particulare: primum extenditur ad omnia, exceptis illicitis, et iis, quæ indigent peculiari mandato: alterum extenditur tantum ad quædam determinata. 2. Aliud est expressum, quod verbis expressis, seu scriptura fit: aliud tacitum, quod habetur facto, signis, nutibus etc.

84. *Quomodo perficitur mandatum?*

Acceptatione mandatarii expressa, vel tacita (y).

85. *Quotuplici modo expirat mandatum?*

Revocatione mandantis etiam implicita; renuntiatione mandatarii; morte, vel interdictione, vel proximo decoctu sive mandantis, sive mandatarii (z); et per reconciliationem cum inimico, si sermo sit de mandato ad damnificandum; nam talis reconciliatio est tacita revocatio.

86. *Mandans damnum proximi teneturne ad restitutionem?*

Maxime, et quidem primario; cum sit principalis damni causa (a): et contrarium fuit ab Innoc. XI. damnatum (*).

87. *Quid si mandatarius excesserit limites mandati?*

Vel excessus erat actione conjunctus, quatenus actio erat periculosa, tunc mandans tenetur ad excessum quoque; quoniam causa

---

(20) Mandatum sua natura est contractus gratuitus: potest etiam fieri interveniente mercede, sed adesse debet pactum expressum [*art. 1858*].

(y) [*art. 1856, et 1857*]. (z) *Plur. ll. rom. et canon.* [*art. 1875*].

(a) *L.* Non solum 11. §. 3. *D. de injur.*

(*) Prop. 39. quæ ajebat: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Qualis propositio, ut quisque videt, ad omnes fere concausas positivas se extendit.

est ejusdem excessus (21): aliter non tenetur, quidquid alii in contrarium opinentur; nam in casu hujusmodi excessus non provenit ex ipso mandato, sed vel ex casu fortuito, vel ex malitia mandatarii (*b*).

88. Mandans teneturne ad damna, revocato mandato?

Vel revocatio mandatario innotuit ante damnum illatum, et non tenetur; quia damnum sequitur non amplius ex vi mandati, sed culpa mandatarii: vel revocatio non innotuit mandatario, et tenetur mandans; ex mandato enim damnum infertur.

89. Quid si revocatio innotuerit mandatario, et iste revocationis oblitus mandatum prosequatur?

Aliqui dicunt teneri mandantem ad damnum; quia ex vi mandati damnum infertur. Alii vero docent, si poterat et debebat mandans prævidere mandatarium faciliter posse revocationis oblisci, tunc teneri; ex mandato enim sequitur damnum: aliter non teneri e contraria ratione.

90. Quid si mandatarius fictam credens reconciliationem mandantis cum ejus adversario, mandatum adimpleat?

Non tenetur mandans ad damnum resarciendum, si sufficientibus et claris signis atque protestationibus reconciliationem patefecerit; talis enim manifestatio est vera revocatio, et ex sola mandatarii malitia damnum videtur illatum.

91. Num tantum ratum habens damnum suo nomine alteri illatum teneatur ad restitutionem?

Minime, cum nullatenus sit damni causa.

92. Teneturne mandans ad damna causata mandatario in executione mandati?

Vel mandans est superior, et tenetur; nam quod subditus facit ex voluntate superioris, non tam voluntarie, quam coacte facere videtur; imperium enim est quædam vis moralis: vel mandans non est superior, et non tenetur; mandatarius enim sua voluntate se exposuit tali periculo, et volenti ac consentienti nulla fit injuria (22).

(21) Opinor primo loco teneri mandatarium, cum ab eo provenit ejusmodi excessus.

(*b*) Colligitur etiam ex cap. *Quidam* ult. de homicid.

(22) Aliqui hanc doctrinam tantum admittunt, quando mandatarius mercedem

93. *Teneturne mandans ad damna eventa familiæ mandatarii?*

Maxime; cùm sit mandatum illorum causa, et illis non possit mandatarius renuntiare (c).

SECTIO II.

DE CONSULENTE.

94. Q*Uinam veniunt per verbum* Consilium?

Omnes qui consulunt, hortantur, instruunt, dirigunt, suadent, motiva suggerunt, vel precibus, promissionibus etc. inducunt ad damnum alteri inferendum.

95. *An consilium differat a mandato?*

Maxime; nam mandatum fit in gratiam mandantis, consilium in gratiam consulti: revocato mandato ante damnum illatum, quum revocatio innotuit mandatario, mandans non tenetur ad restitutionem; revocato consilio consulens etiam tenetur ad restitutionem; quia intellectus semel instructus difficile dimovetur.

96. *Num damnum consulens teneatur ad restitutionem?*

Maxime, cum sit causa moralis damni. At secundo loco; quia consilium est in gratiam consulti (23).

97. *Danturne casus, in quibus revocato consilio non tenetur consulens ad restitutionem?*

Maxime; et 1. est quando consilium fuit falsum, vel innixum falsæ doctrinæ, et consulens exponit consulto hanc falsitatem, errorem etc. quia tunc efficaciter aufertur causa damni inferendi: 2. est quando consulens omnia media adhibet, ut possit consultum ab iniquo consilio revocare; at alii contrarium sentiunt (24).

accipit ad mandatum exequendum: quod si mandatum est gratis, debet mandans damna resarcire mandatario causata, et hoc colligunt ex cap. *Cum pro causa* 6. de procurat. cui consonat cod. noviss. part. 1. art. 1872. At hujusmodi dispositiones sunt de mandato ad licita.

(c) *Ex cit.l.* Non solum.

(23) At si aliquando consilium sit in utilitatem præbentis, iste tenetur primo loco.

(24) Si consulens nullo modo possit consultum avertere a damno inferendo, tenetur ex justitia lædendum monere, ut sibi caveat.

98. Consilium fuit ob finem bonum, sed male datum, teneturne male consulens ad damnum consulto vel alteri ob suum consilium illatum?

Vel male consulit ex dolo, et tenetur. Vel male consulit ex culpa juridica; et tunc si est persona, quæ ex suo officio peritiam profitetur in illa re, de qua dat consilium, et tenetur de culpa lata (*d*); et si stipendium acceperit, tenetur etiam de culpa levi etc. uti dictum est superius n. 41: si vero non est hujusmodi persona, non tenetur ad restitutionem; nemo enim extra contractus et officia obligatur de culpa juridica (*e*).

99. An qui dat consilium ad inferenda alteri damna, teneatur ad damna ipsi consulto causata in executione pravi consilii?

Si fuit petitus de consilio, non tenetur; consultus enim sibi imputet talia damna: si vero non fuit petitus, probabilius ne tenetur quidem ex eadem ratione. Sed ad damna causata familiæ consulti semper tenetur; consultus enim non potest cedere juri alterius.

100. Teneturne ad restitutionem, qui consulit minus malum ei, qui paratus jam est ad inferendum majus?

Vel consulit minus malum inferendum eidem personæ, et non tenetur; quia minus malum non consulit uti malum, sed uti carentiam majoris mali: si vero consulit minus malum inferendum non eidem, sed diversæ personæ, tunc tenetur ad restitutionem; cum sit causa illius mali, et injuriam infert huic tertiæ personæ (25).

101. An teneatur ad restitutionem ille, qui parato ad damnum inferendum suadet, ut citius damnum exequatur?

Si aderat spes mutandi voluntatem, aut alicujus impedimenti ad damnum inferendum, tunc tenetur pro rata spei; nam suo consilio influit in damnum: aliter non tenetur, quamvis peccet; quia suum consilium non est causa efficax damni.

(*d*) *Cap.* Si culpa 9. *de injur. et damno dato.*

(*e*) Habetur ex reg. jur. 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, et ex *l. Consilii* 47. pr. et *l. Imperitia* 132. D. de reg. jur.

(25) Utrum iste peccet, jam diximus in tract. IV. n. 99. et 100.

102. Teneturne ad restitutionem, qui suo consilio paratum reddit animosiorem, vel in pravo proposito magis obfirmat?

Maxime, quando prudenter creditur, quod absque tali consilio damnum non esset secutum.

103. Quid si plures consulant damnum alteri inferendum, teneturne omnes ad restitutionem?

Maxime; omnes enim ad damnum concurrunt.

104. Qui exemplo aliquem movet ad furandum, ad damnum inferendum, teneturne ad restitutionem?

Si tale est exemplum, ut dici possit caussa furti vel damni, tenetur qui exemplum præbet; quoniam est caussa damni: aliter non tenetur, cum præbuerit tantum occasionem (26).

SECTIO III.

DE CETERIS CONCAUSIS POSITIVIS.

105. *Quinam veniunt per verbum* Consensus?

Veniunt omnes, qui efficaciter approbant, vel dant suffragium, aut favorem, et auctoritatem interponunt ad damnum inferendum.

106. An isti ad restitutionem teneantur?

Maxime, quum damni sunt caussa.

107. Num peccet et ad restitutionem teneatur, qui ultimo loco subscribit iniquæ sententiæ, indignæ electioni etc. postquam alii jam suffragia dederunt?

Vel notitia hujus ultimi suffragii animaverit priores suffragantes, aut hoc suffragium vim habeat alia confirmandi, vel negatio hujus ultimi suffragii possit alios revocare ab injustis suffragiis jam datis, et iste tenetur ad restitutionem, et quidem uti causa positiva in duobus prioribus casibus, uti causa negativa in tertio casu (27); quia in damnum influit. Aliter peccat tantum,

(26) Aliqui sustinent nunquam esse exemplum caussam damni aut furti, sed simplicem tantum occasionem.

(27) Juxta aliquos tanquam causa positiva etiam in hoc tertio casu, quando suffragia sunt revocabilia; quia istud ultimum suffragium aliquo modo alia confirmat.

sed ad restitutionem non tenetur, omissa contraria improbabili sententia; nam prioribus suffragiis jam posita est et completa causa damni.

108. Teneturne ad restitutionem, qui prior vel cum aliis suffragium dat, quando sine suo suffragio etiam damnum sequeretur, quia alii postea similiter dant suffragium?

Maxime; iste enim prior influit in damnum, et suscipit onus, quod alius suscepisset (28).

109. Quinam denotantur per verbum Palpo?

Omnes, qui adulatione, laudatione, vel vituperatione aliquem inducunt ad damnum inferendum.

110. An isti teneantur ad restitutionem?

Maxime; quia damni sunt causa: quamvis sine intentione damni inferendi hoc faciant; dummodo prævideant, vel prævidere possint et debeant damnum inde secuturum.

111. Quosnam denotat verbum Recursus?

Omnes qui receptant, recipiunt, defendunt, favent, aut conservant malefactorem, vel prædam, et ita securitatem præstant ad damnum inferendum, vel non resarciendum.

112. An isti ad restitutionem teneantur?

Affirmative; quia sunt cooperatores efficaces alterius damni (f).

113. An teneatur ad restitutionem, qui malefactorem receptat, quatenus cognatum, amicum, hospitem etc?

Minime; modo talis receptatio ejus delictis non faveat.

114. Teneturne ad restitutionem, qui furem cum præda receptat, ut fur effugiat periculum mortis?

Nequaquam; talis enim actio per se ordinatur ad miserum eripiendum periculo vitæ, non ad fovendum furtum. Debet vero prædam apud se relictam domino tradere, si queat sine gravi incommodo.

---

(28) Si vero quis dubitet, an suo, vel priorum suffragantium voto fuerit causata indigna electio etc. probabilius tenetur pro rata dubii.

(f) *Can.* Si res aliena *1. §. 3. caus. 14. q. 6. l.* Quo naufragium fit 3. §. 3. *D. de incendio etc.*

115. Teneturne ad restitutionem magnates, qui vident suos subditos, famulos etc. patrare delicta ob sui protectionem, et eos non impediunt?

Maxime; quia protectione sua efficax sunt damni causa.

116. Quinam veniunt verbo Participans?

Veniunt omnes, qui quocumque alio modo, vel cooperando, vel adjuvando, sive immediate, sive mediate ad damnum proximi concurrunt.

117. Quotuplici modo potest quis esse participans?

Triplici modo, vel quia participat in re injuste accepta, vel quia participat in actione damni causativa, vel quia participat in re et actione simul.

118. Quotupliciter potest quis in actione damnosa participare?

Dupliciter; vel actione intrinsece mala, vel actione ex sua natura indifferenti.

119. An participantes ad restitutionem teneantur?

Maxime; quoniam damno dant causam. Hoc vero discrimine, quod participantes in re tenentur tantum ad partem rei acceptam: participantes in actione tenentur in solidum, si actio sit influxiva in totum damnum; aliter pro rata influxus.

120. Teneturne ad restitutionem, qui gravi metu coactus in actione damnosa participat?

Vel participat in actione intrinsece mala, et tenetur; quia metus gravis non excusans a culpa, ne a restitutione quidem excusat: vel participat in actione non intrinsece mala, et non tenetur; nam per metum gravem sicuti excusatur a culpa, ita et a restitutione.

121. An qui materialiter tantum participat in actione damnosa, teneatur ad restitutionem?

Si hujusmodi cooperatio imputatur ad culpam, et est influxiva damni, tenetur; aliter non tenetur: nam ut quis extra contractus et officia ad restitutionem obligetur, requiritur culpa theologica externa contra justitiam, et influxiva damni.

SECTIO IV.

DE CONCAUSIS NEGATIVIS.

122. *Quinam veniunt per* Mutus, Non-obstans, Non-manifestans?

Illi omnes, qui tenentur ex justitia clamare, se opponere, manifestare ad damnum impediendum, et sine justa causa omittunt clamare etc. (*)

123. *An isti obligentur ad restitutionem?*

Maxime, si clamando etc. damnum non esset secutum; nam omittendo quod debent ex justitia, damni sunt causa moralis (g 29).

124. *Qui non est justitia obligatus, potens damnum proximi impedire, et non impedit, teneturne ad restitutionem?*

Minime; iste enim peccat tantum contra caritatem (30).

125. *Quid si quis fraude, dolo etc. impedit clamare volentem, teneturne ad restitutionem?*

Affirmative, quia lædit jus proximi; quisque enim habet jus ne dolo et malis artibus impediatur a justa defensione.

126. *Obligaturne ad restitutionem damni, qui a damnificante accipit aliquid, ut taceat?*

Maxime, dummodo damnificans eo reddatur animosior, ut sine hac conventione non sequeretur dammum.

127. *Servus qui videns furari bona domini sui non clamat, impedit etc. teneturne ad restitutionem?*

Una non est DD. ratio: sed probabilius et communius sic est distinguendum: Vel qui furatur est extraneus, tenetur ser-

---

(*) Uti sunt magistratus, belli duces etc. ob quorum negligentiam damna a latronibus, militibus afferuntur. Tutores, administratores etc. non impedientes damna minoribus, Ecclesiis etc. provenientia. Custodes montium, vinearum, agrorum, sylvarum, piscinarum etc. qui damna non impediunt, vel facta non manifestant. Canonici, consiliarii etc. tacentes, se absentantes, non impedientes, non suffragantes etc. ob quod iniqua sequitur constitutio, electio etc. Atque hujusmodi alii.

(g) *Ex Ezechiel. 33. 6.*

(29) Excusantur tamen a peccato, proindeque a restitutione, si non clamant etc. ob periculum proprii damni majoris, vel æqualis.

(30) Etsi non impedit ex malitia, odio, vindicta etc.

vus ad restitutionem; nam ratione famulatus ex officio obligatur ad tuenda bona domini ab injuriis extraneorum. Vel qui furatur est conservus aut domesticus, et subdistinguo: si furatur bona servo peculiariter concredita, servus tenetur ad restitutionem; quoniam debet talia bona peculiari modo ab omnibus defendere: si vero talia bona non sunt servo peculiariter concredita, tunc quæstio est: alii dicunt teneri servum ad restitutionem; quia semper, et ab omnibus defendere obligatur bona domini sui: alii vero probabilius negant; quoniam officium servi est ab extraneis, non a domesticis bona domini tueri. At si domesticus arripuerit fugam, juxta nonnullos servus tenetur; in casu enim domesticus tanquam extraneus reputatur.

128. Custodes saltuum, vectigalium etc. obliganturne ad restitutionem, eo quia non accusant defraudatores, venatores etc. aut vectigalia exigere negligunt?

Maxime; nam ex officio obligantur hujusmodi damna impedire.

129. An isti teneantur etiam ad pœnam, quam defraudatores solvissent, si fuissent ab ipsis accusati?

Quæstio est: at probabilius non tenentur; nam dominus saltuum non habet jus ad talem pœnam, nisi post judicis sententiam.

130. Teneturne ad restitutionem, qui aliquid custodibus tradit, ne isti clament etc?

Maxime, in defectu custodum; quia istos inducit ad damnum: at secundum alios tenetur primo loco, uti participans in re.

131. Ad quid tenetur Confessarius, qui pœnitentem non monuit de onere restitutionis?

Distingue: Si absque culpa id egerit, tenetur (etiam cum aliquali incommodo, non vero gravi) ex charitate postea, petita licentia, pœnitentem monere; charitas enim obligat ad reparandum cum levi incommodo damnum proximi: at monitionem omittens non obligatur ipse ad restitutionem; cum non peccaverit contra justitiam. Si vero culpa suà monitionem omisit, tenetur postea pœnitentem ex ejus licentia monere, etiam cum majori suo incommodo: sed monere negligens (etiamsi culpabiliter ex veriori et communissima sententia) non tenetur ipse restituere;

quia ex charitate, non ex justitia obligatur bono proximi prospicere (31).

132. Quid si Confessarius positive pœnitentem deobligaverit a restitutione, ad quam pœnitens tenebatur?

Si hoc fecerit ex malitia vel ignorantia vincibili, tenetur, etiam cum gravi incommodo, intra Confessionem, vel extra, petendo licentiam, pœnitentem monere: alias tenebitur ipse Confessarius ad restitutionem (intellige, quando pœnitens jam restituisset, si non fuisset deobligatus); quia suo injusto consilio jam fuit causa damni. Sic etiam probabilius non excusatur Confessarius a restitutione, si pœnitens antea restituisset, et postea monitus nollet vel non posset. Si vero sine culpa pœnitentem deobligavit, tenetur, cum commode possit (et etiam cum levi incommodo) illum monere ex charitate ad reparandum damnum proximi. In casu culpabiliter omittens monitionem profuturam utrum teneatur Confessarius ad restituendum, discrepant DD. aliqui negant; quia tantum ex charitate Confessarius ad monendum obligatur: alii vero et forte probabilius affirmant; quia, cum suum consilium, etiamsi absque culpa datum, pergat influere in damnum creditoris, cognito errore, tenetur ipse ex justitia auferre causam damni, si sine gravi incommodo potest.

133. Quid si Confessarius pœnitentem obligaverit ad indebitam restitutionem?

Si culpa fecerit, tenetur ipse (in defectu illius, cui indebita fuit facta restitutio) pœnitenti restituere; quoniam damni ejus fuit causa injusta: aliter non tenetur.

(31) Aliqui dicunt Confessarium Curatum teneri ad restitutionem; quia ex justitia obligatur officio suo fungi: sed perperam, Curatus enim ex justitia tenetur proximi bono spirituali, non vero temporali prospicere.

SECTIO V.

DE ORDINE TENENDO INTER CONCAUSAS IN RESTITUTIONE FACIENDA.

134. *Quonam ordine concausæ restituere tenentur?*

Vel loquimur de actione lucrativa, et tenetur primo loco ille, qui rem recepit, ad totam rem, vel ad partem, prout accepit (eodem modo, uti dictum est de possessore bonæ, vel malæ fidei); iste enim tenetur de re accepta: deinde mandans ad totum, cum sit causa principalis; postea mandatarius etiam ad totum, quia primarius est damni executor: in defectu mandatarii tenentur causæ positivæ, et quidem in solidum, si ex conspiratione egerunt, aut singulæ in totum concurrerunt damnum; aliter tenentur ad partem tantum pro rata influxus (32): ultimo loco tenentur causæ negativæ in solidum, vel ad partem tantum, prout dictum est de causis positivis.

Idem dicendum de actione damnificativa, excepto eo, quod dictum est de illo, qui rem recepit etc.

Idem quoque dicendum de causis positivis, vel negativis, si sine mandante et mandatario aliquod damnum intulerunt.

135. *Facta restitutione ab una concausa, remanentne aliæ liberæ?*

Si restitutio facta est a causa principali, aliæ omnes remanent liberæ; istæ enim tenebantur in defectu principalis. Si restitutio est facta ab executore primario, puta a mandatario, causa principalis debet ei totum restituere; aliæ causæ ad nihil tenentur. Si restituerit causa positiva minus principalis, mandans, et ejus defectu mandatarius tenetur ad totum ei restituendum; aliæ causæ positivæ tenentur ad ratam; causæ negativæ remanent liberæ, quia obligantur in defectu positivarum causarum. Si denique restitutum est damnum ab aliqua causa negativa, causa principalis, et ejus defectu executor principalis, et ejus defectu

(32) Intelligitur hoc de causis positivis ejusdem conditionis; nam inter causas ipsas positivas subinde datur aliquis ordo; ut consultum inter et consulentem, receptatum et receptantem, agentem et cooperatorem etc.

causæ positivæ tenentur totum ei restituere; aliter reliquæ causæ negativæ tenentur ad partem.

Eodem ordine tenentur ad reliquum, si restitutio sit tantum in parte adimpleta.

CAPUT VIII.

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS OB INJUSTUM IMPEDIMENTUM BONI ALIENI.

136. Quotuplici modo potest quis aliquod bonum sperare?

Duplici modo: vel ex liberalitate collatoris; vel ex justitia, quatenus jus habet in re, vel ad rem.

137. Quotuplici modo potest quis impediri a consecutione alicujus boni?

Multiplici modo: 1. vel juste, quatenus inhabilis aut indignus est ad illud bonum; vel injuste, scilicet absque justa causa impeditur: 2. aut bonis artibus, nempe actione non mala; aut malis artibus, idest actione mala.

138. Qui aliquem impedit a consecutione alicujus boni, teneturne ad restitutionem?

Vel bonum debebatur ex justitia, et impediens tenetur ad restitutionem, sive bonis impedivit, sive malis artibus; quia lædit jus strictum. Vel bonum exspectabatur ex liberalitate collatoris, impediens bonis artibus non tenetur; quoniam per bonas artes non tollitur libera collatoris voluntas, nec læditur aliquod jus impediti: impediens autem malis artibus tenetur ad restitutionem juxta spem; quia lædit jus impediti: quisque enim habet jus, ne malis impediatur artibus a consecutione alicujus boni (*h*33).

139. An ad restitutionem teneatur, qui impedit, ne adimpleatur promissio alteri facta?

Vel promissio est acceptata, et tenetur impediens sive bo-

(*h*) *D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. et alii Theologi communiter.*

(33) Tenetur tamen ad totum vel ad partem, magis minusve prout certo vel probabiliter expectabatur bonum, *idem ibid.*

nis, sive malis artibus; promissarius enim per acceptationem jus acquirit ad rem promissam: si vero non est acceptata promissio, impediens bonis artibus non tenetur, malis artibus tenetur, ex ratione superius allata.

140. Teneturne ad restitutionem, qui impedit bona fisco applicanda?

Si bona per judicis sententiam jam fuerunt fisco applicata, tenetur; fiscus enim per judicis sententiam ad illa bona jus adquisivit. Ante judicis sententiam, impediens malis artibus tenetur, impediens bonis artibus non tenetur, uti supra dictum est.

141. An restituere teneatur, qui manifestatione occulti delicti aliquem impedivit a consecutione alicujus beneficii?

Minime, si delictum fuerit collatori manifestatum, vel aliis, quorum intererat, ne indignus promoveretur. Si vero delictum fuerit aliis, quorum non intererat, manifestatum, et collator eligendum non propter ipsum delictum, sed præcise ob infamiam a beneficio removet, manifestans ad restitutionem tenetur; quia arte mala eligendum impedivit a beneficii consecutione. Si vero delictum indignum reddebat eligendum, manifestans non tenetur, quomodocumque manifestatio sit facta.

CAPUT IX.

DE RESTITUTIONE REI ACCEPTÆ OB TURPEM CAUSAM.

142. Quando res dicitur accepta ob turpem causam?

Quando nempe accipitur ob peccatum.

143. An hujusmodi res sit restituenda?

Ante factum est restituenda; quoniam non est adimpletum pactum, ob quod res fuit accepta. Post factum, subdistinguitur: si sermo sit de his, in quibus jus inhabilitat, veluti in simonia etc. et est restituenda; quia jus inhabilitat: si sermo sit de aliis, quæstio est: aliqui negant; quia res, quamvis illicita, pretio est æstimabilis ratione laboris, periculi, obligationis restituendi in defectu causæ principalis etc. alii docent esse restituendam; quoniam actio illicita nullo pretio est digna, nec vendibile est pec-

catum, et ex injustitiâ nequit justitiæ vinculum oriri (*i 34*): at isti excipiunt meretricium; lex enim in pœnam scortatoris meretricem habilitat ad retinendum acceptum (*k 35* ✱).

144. An meretrix restituere teneatur, quod accepit a Religioso?

Si Religiosus superioris licentiam non habet alienandi, meretrix tenetur monasterio acceptum restituere; quia sine superioris licentia non potest Religiosus dominium transferre. Si vero habet Religiosus licentiam alienandi, quæstio est: alii affirmant; quia habita licentia potest Religiosus in alium dominium transferre: alii vero probabilius negant; talis enim licentia ad usus illicitos nec præsumitur, nec dari potest (*36*).

145. Teneturne uxorata in communi peculio reponere, quod accepit ob copiam sui corporis?

Minime, omissa contraria opinione; maritus enim nullum habet jus ad illud, cum sit valde odiosum (*37*).

146. Potestne judex retinere, quod accepit pro exercendo actu jurisdictionis, pro ferenda sententia etc?

Si accepit pro ferenda sententia injustâ, idem dicendum, quod dictum est n. 143. Si vero accepit pro ferenda sententia justa, videndum; si ex lege habet jus illud exigendi, potest retinere: aliter non potest, cum nullum jus habeat (*l 38* ✱✱).

(i) *Ex l.* Mercalem 5. *C. de condict. ob turpem causam*, *et l.* Pacta *6. C. de pactis*, *D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2.*

(*34*) In casu juxta aliquos res pauperibus vel piis causis est eroganda; absurdum est enim, et contra legum mentem, ut illi fiat restitutio, quem potius punire quam juvare leges intendunt: juxta alios est domino restituenda; quia nullus est contractus.

(*k*) *L.* Idem *4. §. 3. D. de condict. ob turp. vel injust. causs.*

(*35*) Eadem valet doctrina ad dignoscendum, utrum in conscientia quis teneatur solvere, quod ob turpem promisit causam. Ex cod. noviss. part. 1. art. 1085: nullus valet contractus ex causa illicita.

(✱) Mulier recipiens munera sibi ab amasio liberaliter oblata ex cognita ejus libidinosa intentione, graviter peccat: non tenetur tamen illa restituere, ut ajunt plurimi, si nullum intercessit pactum sive explicitum, sive implicitum.

(*36*) Concedunt tamen aliqui posse mulierem acceptum retinere, si Religiosus intendat dare gratis, quia pauper est mulier, vel ne ipse damnum in fama patiatur.

Idem dicendum de quacumque alienatione ad alios illicitos usus a Religioso facta.

(*37*) Idem dicendum de filia respectu patris.

(*l*) *D. Thom. de erudit. Princip. lib. 4. cap. 4.*

(*38* ✱✱) Idem est de ministris principum, thesaurariis, notariis, tabellionibus, aliisque similibus officialibus. Nonnulli excipiunt, si sint parva munera, ut puta escu-

CAPUT X.

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS RATIONE QUORUMDAM DELICTORUM IN SPECIE

147. *Quænam delicta obligant ad restitutionem?*
Omnia quæ sunt causa damni alterius (m 39).

148. *Ad quid tenetur fur?*
Non solum restituere ablatum, sed etiam omnia damna ex furto proventa.

149. *Est levis, an gravis obligatio restituendi quod per parva furta est ablatum, deveniendo ad materiam gravem?*
Gravis est obligatio restituendi saltem aliquam partem, ut materia desinat esse gravis; nam istæ parvæ materiæ coalescunt in se, et efficiunt unum morale: contrarium fuit ab Innoc. XI. damnatum (*).

---

lenta, poculenta etc. præsertim si sint spoute oblata; vel si ipsi sint a republica absque sufficienti stipendio conducti: id vero vix caute admitti potest.

Data occasioue in genere notetur esse restituenda accepta per modum pretii pro actione vel omissione debita ex justitia; sicut esset ad reddendum debitum conjugale, ad restituendum debitum, depositum, commodatum etc. ad reparandam famam vel honorem, ne adulterium committatur, ne homo occidatur etc. Dixi *per modum pretii*, non enim sunt restituenda, si data sunt per modum gratuitæ et omnino liberæ donationis.

Accepta per modum pretii pro actione vel omissione debiti ex alia virtute non sunt restituenda, ut plurimi pro certò habent: e. c. ne quis blasphemet, fornicetur, se inebriet etc. Excipe tamen 1. si ex dispositione juris sit quis inhabilitatus ad talis pretii dominium acquirendum, prout est in simonia: 2. si ejusmodi pretii acceptione integra non haberetur obligationis impletio; puta si quis viginti acciperet pro implendo voto quadraginta aureorum; si quid beneficiarius reciperet pro dandis in eleemosynam suæ sustentationi superfluis. Ego vero dicerem cum l. 7. §. 3. D. de pactis *Flagitiosum est pecuniam pacisci, quo flagitio abstineas.*

(m) [*art.* 1336].

(39) Si delictum alteri imputetur, delinquens ad istius damna non tenetur, quando id non prævidit. Probabilius ne tenetur quidem, etiamsi præviderit (et juxta plurimos etiamsi intenderit); nam aliorum error, non ipsa actio est damnorum causa, sed tantum simplex occasio. Excipe tamen, si talis sit actio ejusque circumstantiæ, ut proxime influant ad imputationem in tertium.

(*) Propos. 38. quæ ajebat: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

150. Quibus facienda est restitutio rei per parva furta diversis ablatæ?

Facienda est singulis, si sciantur, aut saltem majori illorum parti, modo quo potest fieri (*n* *40*): aliter facienda est pauperibus, vel applicanda est res piis operibus.

151. Ad quid tenentur homicidæ, mutilatores, vulnerantes etc?

Pro vita vel parte mutilata ad nihil tenentur, quidquid aliqui contrarium sentiant; sunt enim bona superioris ordinis, quæ pretio æstimari nequeunt (*o*): tenentur tamen ad omnia damna ex homicidio, vel mutilatione, vel læsione secuta: sicuti etiam ad lucrum cessans juxta spei valorem judicio prudentum (exceptis expensis, quas læsus fecisset, si vixisset, aut sanus fuisset); quia istorum sunt injusta causa (*p*).

152. Teneturne homicida ad sumptus funebres occisi?

Minime; isti enim sumptus aliquando erant faciendi: at si occasione homicidii majores sumptus sunt facti, homicida tenetur ad excessum.

153. Quænam damna, et quibus debent homicidæ restituere?

Damna causata ante mortem occisi tenentur restituere hæredibus tam necessariis, quam voluntariis; ad ista enim jam defunctus jus acquisivit. Damna vero, quæ post mortem eveniunt, tenentur tantum restituere hæredibus necessariis; isti enim jus habebant ad alimenta percipienda ab occiso: et hoc est verum, quamvis occisus occisori condonaverit debita, juxta probabiliorem sententiam; quia occisus non poterat cedere juri alterius (*41*).

154. Num occisor tenetur solvere debita occisi?

Non conveniunt doctores: alii dicunt teneri, et præsertim

(*n*) *Ex cap.* Cum tu *5. de usuris.*

(*40*) In casu si fur debita distribuat pauperibus, utrum peccet graviter vel leviter, et utrum ad novam teneatur restitutionem, non convenit inter Doctores.

(*o*) Et patet ex l. *Cum liberi* ult. D. de his qui effuderint etc. *Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.*

(*p*) *Cit. l. et alibi, cap.* Si rixati *1. et* Si culpa *9. de injur, et damno.*

(*41*) Hic pro hærede necessario intelligitur qui jus habebat ad alimenta percipienda ab occiso.

At si occisor extraneorum damna directe intenderet, probabilius ad ista tenetur; habetur enim opus externum contra justitiam erga damnificatos.

si præviderit; quia damni creditorum est causa injusta: sed solvere tenetur quantum probabiliter occisus soluturus erat, si vixisset. Alii volunt non teneri, nisi directe hoc intenderit; quia per accidens evenit creditorum damnum.

155. Teneturne occisor offerre suffragia, orationes etc. pro anima occisi?

Minime ex justitia: sed salubre est.

156. An teneatur ad restitutionem occisor injusti aggressoris?

Minime, si occisio sit cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia est ad defensionem, et caret culpa (42).

157. Teneturne restituere, qui unum pro alio occidit?

Probabilius tenetur; nam culpabiliter et injuste hominem occidit, quamvis unum pro alio (q).

158. An qui occidit in duello, ad restituendum teneatur?

Si provocans provocatum occidit, secundum aliquos tenetur; quia provocatus quasi involuntarie ad duellum descendit, et provocans est causa primaria damni: secundum alios non tenetur; quia provocatus acceptando cedit juri suo. Si provocatus provocantem occidit, non tenetur; provocans enim provocando cedit juri suo: at tenetur ad damna aliorum, quibus provocans non poterat cedere.

159. Ex homicidio casuali oritur ne obligatio restitutionis?

Ex mere casuali non oritur, cum sit omnino involuntarium: ex mixte casuali oritur; quia est aliquo modo voluntarium, et culpabile.

160. Hæredes occisoris, mutilatoris etc. tenenturne ad restitutionem, si moriatur occisor etc?

Maxime; obligatio enim est realis, ad quam tenentur hæredes (43).

161. Ad quid tenetur virginis deflorator?

Pro ipsa defloratione ad nihil debetur, quidquid aliqui di-

---

(42) Si vero excedat moderamen inculpatæ tutelæ, probabilius ad restitutionem tenetur.

(q) *Ex l.* Eum qui *18. §. 3. D. de injur. etc. et* [*art. 1336. 1337. et alibi*].

(43) Idem dicendum est de hæredibus cujuscumque damnificatoris, *cap.* Parochiano *fin. de sepulturis, et* In litteris *5. de raptoribus etc. ac plur. ll. rom.*

cant; cum non sit defloratio reparabilis, neque pretio æstimabilis: modo non adsit pactum, aut judicis sententia ad aliquid dandum. Quoad cetera vero, si virginem defloraverit vi, aut dolo, aut fraude, ad omnia tenetur damna honoris, famæ, fortunæ tam virgini, quam ejus parentibus proventa; quia fuit injusta causa (r): et juxta aliquos tenetur etiam ad aliquid aliud ob mœrorem virgini allatum. Si vero virginem defloraverit, illa consentiente (quamvis precibus vel muneribus allecta), ad nihil tenetur; nam volenti et consentienti nulla fit injuria. Utrum vero teneatur ad damna causata perentibus virginis, quæstio est: alii affirmant; quia non poterat virgo ad ea renuntiare: alii autem communius negant; quia sicut puella, cum possit libere nuptias respuere, non facit injuriam parentibus, si ad illas minus aptam se reddit ad suam deflorationem consentiendo, ita neque injuriam eis fecit deflorator ipsam consentientem violans (44).

162. An teneatur stuprator defloratam uxorem ducere?

Si intercesserit matrimonii promissio, aut ad matrimonium cogatur per sententiam judicis in sui criminis pœnam, tenetur; adest enim obligatio in conscientia orta ex promissione, vel ex justa pœnali sententia. Aliter non tenetur, quicquid aliqui dicant; quia damna solum debet resarcire, nec est ad majus onus obligandus: at saluberrimum consilium est illam ducere, ut penitus deflorata ab injuria ac molestia liberetur (*45).

163. Ad quid tenentur adulteri?

Si ex adulterio non sequitur partus, nec aliquid damnum, ad nihil tenentur; conjugi enim injuria, et non damnum adulterio infertur. Si vero sequitur partus, tenentur prolem alere (usquedum ipsa proles possit sibi de alimentis providere) et pater

---

(r) Cap. Si culpa *ult. de injur.*

(44) At omnino tenetur deflorator 1. si judex ad hoc illum damnat: 2. si facinus propalando puellam infamat; tunc tenetur etiam ad damna causata puellæ.

(*) Patet etiam ex Exod. cap. 22. 16. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem.*

(45) Quod dictum est de virgine, idem dicendum de virgine putata, et de vidua, quando ex copula per vim habita eis damnum evenit, aut infamia, ob quam non possunt nubere.

quidem primo loco, mater in defectu patris (*s*). Quod si damna sequantur conjugi, vel hæredibus legitimis, ut puta alimenta præstita spurio, dos a patre putativo filiæ spuriæ data, portio hæreditatis, quæ detrahitur hæredibus legitimis etc. ad hæc damna tam adulter, quam adultera tenentur in solidum; quia uterque est illorum injusta causa æque principalis (*46* ✻).

164. Quid si dubitatur, utrum ex adulterio, an ex conjugio sit proles genita?

Aliqui dicunt teneri adulteros pro rata dubii judicio prudentum. Alii vero dicunt non teneri; tum quia possessio stat pro conjugio; tum quia melior est conditio adulterorum possidentium bona sua, de quibus non obligantur se spoliare ob dubiam obligationem.

165. Adultera non potens damna compensare, nisi manifestando delictum, teneturne se spurio vel aliis prodere?

Quæstio est: at probabilius non tenetur; fama enim fortunæ bonis anteferenda est (*47*): neque spurius tenetur credere matri etiam juranti, nisi validis argumentis convincatur (*t*).

166. Ad quid tenentur detractores, contumeliosi, et calumniatores?

Non solum tenentur famam proximo ablatam resarcire, sed etiam omnia damna ex suo delicto exorta (omissa aliquorum opinione, qui volunt teneri ad partem tantum, cum delictum est verum); quia sunt illorum causa injusta (*48* ✻✻).

(*s*) [*art. 193. 678. et 679*].

(*46*) Si adulter vim, aut dolum intulisset, ipse solus tenetur ad damna, cum solus fuerit adulterii causa principalis: si vero gravem intulisset metum, solus quoque ad damna tenetur: et in ejus defectu tenetur adultera; quia metus in casu non excusat a culpa.

(✻) Adultera debet suis bonis et industriis damnum compensare; e. c. diligentius administrando rem familiarem; detrahendo aliquid de cultu sui; bona propria conjugi, vel filiis legitimis dando; spurium inducendo, si sit idoneus, ut relicta hæreditate, vel ejus parte, statum Religiosum, vel Ecclesiasticum amplectatur etc.

(*47*) Idem dicendum de adultero.

Ex veriori sententia debet adultera se ipsam prodere, si damnum sic reparandum præponderet damno suæ famæ; uti esset damnum regni, principatus etc. cui succederet spurius perditis moribus imbutus; si esset ipsa perditæ famæ etc.

(*t*) Ita Gloss. et DD. communiter in cap. *Officii* 9. de pœnitentiis et remiss. et ex l. *Imperatores* 29. §. 1. D. de probat. et aliunde.

(*48* ✻✻) Honor publice ablatus publice est restituendus coram illis, qui contume-

167. *Qui falso aliquem accusavit, propter quod accusatus damnatur ad mortem, teneturne accusator periculo vitæ falsam accusationem detegere?*

Maxime; nam in pari causa melior est conditio innocentis. At non tenetur, si talis manifestatio non sit profutura ad liberandum innocentem; nemo enim obligatur ad opus inutile.

168. *Quibus de causis potest quis excusari a restitutione famæ, vel honoris?*

Pluribus de causis: 1. nempe impossibilitate sive physica, sive morali: 2. condonatione obtenta: 3. quando infamatus vel diffamatus jam famam recuperavit: 4. quando per oblivionem infamia est deleta: 5. quando delictum alia via fit publicum: 6. compensatione, quando nempe mutua fuit detractio (contra aliquos); nam ex reg. jur. paria delicta mutua compensatione tolluntur: 7. probabiliter, si offensus vindictam sumserit pro illata injuria: et probabilissime, si offensor a judice ob id puniatur: 8. denique cum nullum ex detractione est famæ damnum secutum.

169. *Tenenturne secretum manifestantes ad damna inde secuta?*

Maxime, quando manifestatio est illicita; quia damnorum sunt causa injusta.

CAPUT XI.

DE TEMPORE, LOCO, EXPENSIS, ET PERICULO IN RESTITUTIONE FACIENDA.

170. *Quo tempore facienda est restitutio?*

Possessor malæ fidei, et damnificans tenentur restituere a prin-

---

liæ fuerunt præsentes; vel saltem per modum ut ad illos de facili notitia pervenire possit. Sufficit tamen, ut fiat per alium nomine dehonorantis. Ex veriori sententia restitui quoque debet, si occulta fuit contumelia. Hujusmodi restitutio facienda est, aliquid præstando, quod ad debitam satisfactionem sit satis, juxta conditionem offensi, et offensoris, circumstantias etc.

Fama est restituenda coram auditoribus immediatis, et probabiliter etiam mediatis; aut saltem modo, quo notitia ad istos queat pervenire. Si quis falsum impegit delictum, tenetur id aperte retractare. Si vero verum crimen propalavit, potest asserere *se errasse, male dixisse, peccasse*, et similia: et melius erit, si data occasione serio et pluries de læso bene loquatur, vel illum honorifice tractet.

cipio, modo dilationem non obtinuerint a domino. Possessor bonæ fidei tenetur, quando in malam fidem venit, dummodo commode possit. Si restitutio debetur ex contractu, facienda est tempore in contractu definito, etiamsi dominus rem non petat; nam dies statuta pro domino interpellat (*u*). Si vero tempus in contractu non est statutum, et arguitur ex circumstantiis, eo tempore facienda est restitutio; e. g. qui vendit frumentum, quod est producturus suus ager, tempore messis debet frumentum: aliter facienda est restitutio tempore contractus, si possit; præsumitur enim eam esse mentem contrahentium (*x*). At si non possit fieri tempore contractus, uti esset in restitutione mutui etc. facienda est, quando dominus petit.

171. Quo loco facienda est restitutio?

Si restitutio est de re accepta, facienda est loco, quo res extat; quia possessor bonæ fidei potest servare seipsum indemnem. Si est restitutio ex injusta acceptione, vel ex delicto, facienda est loco, ubi dominus habiturus erat rem, si non fuisset ablata, aut deperdita. Restitutio ex contractu fieri debet loco in contractu statuto (*y*): si vero locus non est in contractu statutus, et agitur de re certa ac determinata, res restituenda est loco, ubi reperitur tempore contractus: extra allatos casus facienda est restitutio domicilio debitoris (*z*).

172. Cujus expensis est facienda restitutio?

Restitutio ex re accepta est facienda creditoris expensis; nam possessor bonæ fidei seipse potest indemnem servare. Ex injusta acceptione vel ex delicto facienda est restitutio expensis debitoris, ex ratione contraria (*49*). Restitutio ex contractu est facien-

---

(*u*) *Cap.* Potuit emphyteuta *fin. de locato et conducto*, *et l.* Eum qui *41. §. 1. D. de verb. oblig. alibique.*

(*x*) *Cit. l. et §. et l.* In omnibus obligationibus *14. D. de reg. jur.*

(*y*) *L.* Alio loco *1. et* Is qui certo loco *9. D. de eo quod certo loco etc. alibique.*

(*z*) [*art. 1200.*]

(*49*) Si expensæ faciendæ hujusmodi sint, ut grave afferrent possessori damnum, potest differri restitutio, si adest spes, ut res vel pretium alio tempore domino restituatur. Vide dicenda num. 193. Si vero spes non adest, ut postea res vel pretium domino restituatur, juxta probabilem aliquorum sententiam res potest pauperibus dari, si expensæ sint re longe majores: aliter res domino debetur, nec differri potest restitutio. At in utroque casu intelligitur, modo æquale damnum non pateretur dominus, ut infra dicetur num. 197.

da expensis debitoris (*a*): nisi aliud sit statutum, vel constet de voluntate contrahentium.

173. Est ne facienda nova restitutio, si res restituatur per tertiam personam, et non pervenerit in manum domini?

Possessor bonæ fidei non tenetur (dummodo debitam adhibuerit diligentiam); quia potest servare seipsum indemnem. Possessor malæ fidei, et damnificans tenentur, ex contraria ratione (*50*). Si res debetur ex contractu non transferente dominium, veluti ex commodato, deposito etc. non est nova facienda restitutio; quia res debetur in individuo, et creditor retinet dominium, et res quæ perit sine culpa possessoris, domino perit (*b*). Si vero debetur res ex contractu dominium transferente, tunc nova facienda est restitutio; debitor enim est rei dominus, usquedum res pervenerit in manum creditoris, et domino res perit.

174. Danturne casus, in quibus ex injusta acceptione, vel ex damnificatione, vel ex contractu dominium transferente debetur res, et tamen nova non est facienda restitutio?

Dantur sequentes: 1. quando ex lege, vel judice datur asportator: 2. quando creditor asportatorem elegit, vel debitori dedit facultatem eligendi, vel a debitore electum approbavit (*c*).

CAPUT XII.

DE PERSONIS, QUIBUS FACIENDA EST RESTITUTIO.

175. CUinam est restituenda res ablata, vel accepta a possessore non domino?

Si possessor rem possidebat justo titulo, uti est depositarius, commodatarius etc. ei est res restituenda ex justitia; quia jus habet rem possidendi (*51*). Si vero justum titulum non habebat

(*a*) [*art. 1201. et 1454*].

(*50*) Nonnulli in hac parte contra sentiunt, si res sit transmissa per personam fidelissimam habitam, uti per proprium Confessarium: præsertim si justa aderat causa restituendi tali modo, puta ad vitandam infamiam etc.

(*b*) *Ex l.* Argentum *20. D. commodati etc.* (*c*) [*art. 1192*].

(*51*) Et hoc est verum, quamvis dubitetur, utrum justo titulo rem possidebat; in dubio enim melior est conditio possidentis.

possidendi, veluti fur, possessor malæ fidei etc. res domino est restituenda ex contraria ratione (52).

176. Res accepta ex contractu, si inveniatur esse alterius, est restituenda domino, an illi, qui eam dedit?

Res accepta ex contractu gratuito domino est restituenda; quia ad dominum clamat: excipe, si sit accepta ex deposito, commodato, pignore; tunc enim danti est restituenda ad servandam fidem horum contractuum; illum tamen monendo, ut rem domino restituat. Si res autem accepta sit ex contractu oneroso, lis est inter Theologos: at probabilius potest danti restitui ad pretium recuperandum; nemo enim cum sua jactura tenetur domino rem servare, nec domino fit injuria rem reponendo in statu, in quo prius erat (53).

177. Cuinam est restituenda res personæ jam mortuæ.

Hæredibus; isti enim succedunt in omnia jura defuncti.

178. Quænam bona dicuntur incerta?

Dicuntur illa, quæ verum habent dominum, sed ignotum; vel notum habent dominum, at ignoratur ubi adsit, si vivat etc.

179. An sint, et cuinam hæc bona restituenda?

Si hujusmodi bona debentur ex delicto, post adhibitam diligentiam pauperibus sunt tradenda (*d*); alias quis commodum reportaret ex sua iniquitate. Si vero ex alia causa debentur hæc bona, quæstio est · aliqui cum D. Thoma asserunt pauperibus esse tradenda, vel causis piis, aut reponenda in capsam incertorum; ut sint in utilitatem animæ domini, cum non possint esse in utilitatem corporis: alii dicunt esse possessoris, seu inventoris, ceu primi occupantis: alii denique tunc esse possessoris seu inventoris docent, si nulla adsit spes dominum inveniendi.

180. Si inveniatur dominus post applicationem pauperibus factam, estne facienda nova restitutio?

Si applicatio fuit facta absque debita diligentia, nova facien-

(52) In casu monendus est possessor; ne maneat in peccato, aut iterum rem restituat.

(53) Patet etiam ex cod. noviss. part. 1. art. 2186. in quo statuitur non posse dominum rem suam, nisi solnto pretio, repetere ab eo, qui illam emit in nundinis, aut in foro, aut in publica venditione, vel a mercatore similium rerum.

(*d*) *Ex cap.* Cum tu manifestos *.. de usur.*

da est restitutio; culpabiliter enim non fuit dominus inventus. Si vero applicatio facta fuit post debitam diligentiam, nova non est facienda restitutio; non ratione rei acceptæ, quia non extat res; neque ratione injuriæ, quia debita fuit adhibita diligentia in domino inquirendo.

181. Tenenturne pauperes rem restituere domino apparenti?

Non tenentur, si res fuit jam consumpta bona fide. Si vero res extat, et diligentia non fuit adhibita, tenentur pauperes rem restituere; nam non recte fuit res eis applicata: si autem adhibita fuit diligentia, discrepant Doctores: aliqui probabilius dicunt rem esse restituendam; quia sub implicita conditione *nisi dominus appareat* fuit facta applicatio: alii vero negant; quia per rectam applicationem dominium rei jam fuit in pauperes translatum.

182. Quænam bona dicuntur vacantia?

Illa quæ sunt sine domino, uti sunt bona derelicta (54), bona defuncti sine hæredibus, hæreditas derelicta etc.

183. Cuinam sunt hæc bona restituenda?

Fisco, seu statui (*e* 55).

184. Bona naufragorum sunt ne derelicta?

Minime; quia domini semper habent voluntatem ea recuperandi, et dejiciuntur non animo derelinquendi, sed causa naufragii: proindeque dominis sunt restituenda (*f*). Contra surripientes hujusmodi bona adest excommunicatio Papæ reservata, concurrentibus hisce conditionibus: 1. ut sint bona Christianorum: 2. ut surripiantur in ipso naufragio, aut quando navis jam est in transversum jactata: 3. ut surripiantur in mari, vel in litore maris, aut in navi in transversum jactata: 4. ut surripiantur notabili quantitate (*g* 56).

---

(54) Bona derelicta dicuntur, quæ a domino abjiciuntur animo non habendi.

(*e*) *L.* Scire 1. Vacantia 4. Si vacantia 5. *C. de bonis vacant. et de incorporat.* [*art.* 464].

(55) Jure romano in bonis clerici vel monachi defuncti absque hæredibus fisco præferebatur Ecclesia vel monasterium, *l.* 20. *C. de Episc. et clericis.*

(*f*) §. Alia sane 48. *Inst. de rer. division. etc. ac l.* Pomponius 44. *D. de acquir. rerum dominio*, *l.* Quo naufragium fit 3. *pr. D. de incendio etc. et alibi.*

(*g*) *Cap.* Excommunicationi 3. *de raptor.*

(56) Possunt tamen piscatores, seu istorum bonorum ereptores laboris ac periculi compensationem exigere, *ex l.* Navis 4 §. 1. *D. de lege Rhodia.*

185. *Quid est thesaurus ?*

Est vetus abscondita depositio pecuniæ, vel similis rei, domini cujus nulla extat memoria, aut cognitio (*h*).

186. *Ad quem spectat thesaurus ?*

Si inventus est in proprio fundo, totus est inventoris: si autem casu inventus est in fundo alieno, medietas est inventoris, et alia medietas domini fundi (*i* 57).

CAPUT XIII.

DE ORDINE IN RESTITUTIONE SERVANDO, QUANDO BONA DEBITORIS NON SUFFICIUNT AD SATISFACIENDUM OMNIBUS CREDITORIBUS.

187. *Quo ordine facienda est restitutio, quando bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus creditoribus ?*

Si res debita extat in specie, ea est restituenda domino; (intelligitur, quando rei dominium non est translatum) quia restitutio facienda est ex rebus propriis, non vero ex alienis (*k*). Si vero res non extat in specie, prius solvenda sunt debita certa, et postea incerta: certa enim de jure naturæ debentur domino; incerta sunt de jure positivo pauperibus tradenda (*58*). Inter de-

---

(*h*) *L.* Nunquam *31. §. 1. D. de adquir. rer. dominio* [*art.636*]. (*i*). [*art.cit.*]

(57) Dominus fundi partem adquirit jure accessionis; inventor autem jure occupationis: et hoc est naturali æquitati maxime consentaneum. Eadem erat juris romani dispositio, ex Hadriani constitut. At si data opera extra proprium locum thesaurus inveniebatur, totus domino fundi adquirebatur, *§. 39. Inst. de rerum divis. et adquir. ipsarum domin.* Si denique arte magica erat inventus, id quod contigisset inventori, sive pars, sive totum, ad fiscum pertinebat, *l. un. C. de thesauris.* Nota tamen in his duobus casibus leges esse pœnales, proindeque non obligare in conscientia ante judicis sententiam.

In emphyteusi quod attingit domino fundi dividitur inter dominum directum, et emphyteutam, *ex cit. l. un. C. et aliunde* [*art.1686*]. Usufructuarius autem nullum habet jus ad thesaurum [*art.523*].

(*k*) *L.* Cum fundus *31. §. 1. D. de rebus creditis, l.* Procuratoris *5. §.18. D. de tributor. act. et l.* Deposui *38. pr. D. de pecul.*

(*58*) Sed alii hanc non admittunt distinctionem: quia æquale est jus creditorum incertorum, ut sibi debitum pauperibus erogetur pro animabus suis.

Quæstio est utrum debita ex delicto sint præferenda debitis ex contractu oneroso. Probabilius pro rata sunt solvenda.

bita certa prius solvenda sunt debita ex titulo gratuito; quia in contractu gratuito subintelligitur conditio *si fieri possit absque damno tertii.* Inter debita ex titulo oneroso solvendum est prius creditoribus privilegiatis, deinde hypothecariis, et ultimo aliis (*l*).

188. Quænam sunt credita privilegiata?

Multa numerantur in codice novissimo part. 1. Ex art. 1970, et 1973. præcipua sunt sequentia, et prælationem habent ordine hic expresso: 1. omnes expensæ judiciariæ; 2. expensæ funerum; 3. omnes expensæ ultimæ infirmitatis, ut puta honoraria medicorum, pretia pharmacopolæ etc. (*59*) 4. stipendium famulorum pro ultimo semestri elapso, et mense currente; 5. subministrationes cibariorum factæ debitori ejusque familiæ, pro ultimo semestri, si sint datæ ab eis qui minutim vendunt; et pro ultimo anno, si datæ sint a diversoriariis, vel ab eis qui crasse vendunt. Hujusmodi credita præ omnibus privilegium habent super bona mobilia et immobilia debitoris. Dein extant multa alia privilegiata credita super mobilia, aut immobilia debitoris; sicut videri potest in cit. cod. part. 1. lib. 3. tit. 19. toto cap. 2. (*60*)

189. Quinam dicuntur creditores hypothecarii?

Illi qui jus habent reale super immobilia debitoris causa solvendi aliquam obligationem (*m*): quare obligatum sibi habent non solum debitorem, sed etiam rem ejus.

190. Quonam ordine solvendum est creditoribus hypothecariis, quando bona debitoris non sufficiunt ad satisfaciendum omnibus?

Ordine sequente: 1. prælationem habet hypotheca pro minoribus, et interdictis super immobilia tutoris, causa ejus administrationis, a die acceptatæ tutelæ; quamvis inscripta non sit hujusmodi hypotheca (*n*). 2. hypotheca, etiam non inscripta, uxoris pro dote et aliis conventionibus conjugalibus super immobilia viri

---

(*l*) *Ex multis jur. loc.*

(*59*) Expressi tres ordines admittebantur quoque jure rom. prout ex plur. ll. constat.

(*60*) Si bona debitoris non sufficiant ad satisfaciendum omnibus, creditores privilegiati ejusdem gradus partem accipiunt pro rata crediti [*art. 1967*].

(*m*) [*art. 2000*]. (*n*) [*art. 2021*]

a die celebrati matrimonii (o). Omnes aliæ hypothecæ gradum sumunt a die inscriptionis (p).

191. Postquam solutum est creditoribus privilegiatis, et hypothecariis, si quid supersit, quomodo solvendum est aliis creditoribus?

Solvendum est omnibus pro rata crediti (q).

192. An inter creditores non priviligiatos, neque hypothecarios priori exigenti liceat prius solvere?

Post sententiam judicis licet; nam sententia judicis isti dat jus prælationis propter diligentiam, quam adhibuit. Si vero creditum exigit extra judicium, litigant doctores: at probabilius licet; ejus enim diligentia potiorem illum facit (r61).

CAPUT XIV.

DE CAUSIS, QUIBUS SUSPENDI POTEST RESTITUTIO.

193. OB quas causas differri potest restitutio?

Præcipue ob bonum creditoris vel tertiæ personæ, ob damnum debitoris vel proximi, ob impotentiam sive physicam, sive moralem; et per cessionem bonorum.

194. An debitor rem debitam creditori restituere possit, quum certo scit creditorem ea abusurum ad peccatum?

Minime, quidquid aliqui pauci sentiant; restitutio enim esset in damnum creditoris vel alterius, et creditor non est rationabiliter invitus: quare debitor ex charitate, et aliquando etiam ex justitia tenetur restitutionem differre (62).

(o) *L.* In rebus *30. C. de jure dotium*, et Assiduis *12. C. qui potior. in pign. habeantur, novell. 91. cap. 1. novell. 97. cap. 3. et novell. 109. cap. 1.* [*art. 2021. cit.*].

(p) [*art. 2020*]. (q) [*art. 1968*].

(r) *L.* Si non expedierit *6. §. 2. D. de rebus auct. judic. etc. L.* Quod autem *6. §. 7* et Pupillus *24. D. quæ in fraudem etc.*

(61) Non potest tamen debitor præferre aliis creditoribus aliquem non petentem.

Quæstio est utrum creditor pauper sit diviti præferendus: nonnulli tenent præferendum esse ex caritate, si in maxima reperiretur, vel gravi necessitate.

(62) Peccat igitur contra justitiam, et ad restitutionem damnorum obligatur, qui domino restituit gladium apud se depositum, sciens dominum velle aliquem occidere; quia inimicus deponentis jus habet, ne gladius restituatur in illis circumstantiis. Excipe tamen, si depositarius sit a judice coactus, vel simile passurus damnum gladium non restituendo.

195. Potestne restitutionem differre, qui restituendo jacturam pateretur boni superioris ordinis?

Affirmative; quia dominus non esset nisi irrationabiliter invitus; nam obligatio restitutionis oritur ex justitia commutativa, quæ æqualitatem exigit: at in casu non habetur æqualitas; ergo etc. (63) Potiori ratione potest differri restitutio, quando adest jactura boni spiritualis (✱ 64).

196. An possit differri restitutio, quando quis restituendo caderet a proprio statu?

Vel caderet a proprio statu juste acquisito, et potest restitutionem differre; dummodo absque sua culpa (ut plurimi tenent) in tali reperiatur periculo, et idem periculum non subeat creditor: nemo enim cum tanta jactura restituere tenetur (65). Vel caderet a statu injuste acquisito, ut puta usuris, rapinis etc. et nequit restitutionem differre; quia iste non caderet a proprio statu, sed ad pristinum rediret (*s* 66).

197. Teneturne quis restituere cum sui damno, si non restituendo æquale damnum pateretur creditor?

Maxime; quia in pari casu melior est conditio creditoris (67).

198. Quid si debitor restituendo extrema laboraret necessitate, et non restituendo eadem necessitate laboraret creditor?

Non tenetur restituere, quidquid aliqui dicant; nam in extrema necessitate omnia sunt communia, proinde primò occupan-

---

(63) Bona alia sunt spiritualia, uti gratia, salus æterna etc. et alia naturalia: hæc triplicis esse possunt generis, superioris ordinis, uti vita, sanitas, virginitas, libertas; medii ordinis, veluti fama, honor; et infimi ordinis, divitiæ nempe, et alia pecunia æstimabilia.

(✱) E. C. si adsit periculum, ne uxor aut filiæ se prostituant, ne filii se dent latrociniis, ne ipse debitor per impatientiam in desperationem incidat etc.

(64) Si famæ jactura sit minima respectu damni creditoris, non potest restitutio differri.

(65) Tenetur tamen debitor statum diminuere quantum potest, dimittendo scilicet superfluum splendorem famulorum, vestium, equorum etc.

(*s*) *Cap.* Cum tu 5. *de usuris.*

(66) Idem dicendum de hærede, qui mala fide possidere cœpit bona injuste a defuncto adquisita.

(67) In casu damnum pensandum est comparative ad subjectum, idest inspecto statu debitoris, et creditoris.

Hic applicari potest quod dictum est num. 172. nota (49).

tis. At excipitur, si debitor hic et nunc creditorem conjecit in extremam necessitatem, rem scilicet ab eo auferens; tunc enim tenetur debitor restituere, quia ipse lædit jus creditoris.

199. Estne postea restituendum, quod consumptum est tempore extremæ necessitatis?

Inter varias Doctorum rationes probabilius et communius sic est distinguendum: si acceptum est ex titulo transferente dominium, uti ex mutuo, emptione etc. est restituendum; quia in casu non habetur revera extrema necessitas: si vero acceptum est ex titulo dominium non transferente, ut puta ex commodato, deposito etc. non est restituendum; habetur enim vera extrema necessitas, in qua omnia sunt communia (*68*).

200. Privatio magni lucri debitoris estne causa justa differendi restitutionem?

Minime; nam æquum non est, ut creditor re sua careat pro lucro debitoris. At aliqui excipiunt, si illud lucrum necesse sit ad satisfaciendum aliis creditoribus; tunc enim creditor ex caritate tenetur dilationem restitutionis permittere.

201. Debitis obstrictus potestne religionem ingredi?

Variant Doctores: probabilius tamen est tenendum, quod si iste consuetis laboribus debita saltem ex magna parte solvere potest, religionis ingressum differre tenetur ad debita solvenda; secus creditores rationabiliter essent inviti: aliter potest statim religionem ingredi. At si debita sunt incerta, potest religionem ingredi, facta sibi compositione ex consilio sui Confessarii, cum sit opus Deo gratum.

202. Valetne professio illius, qui debitis est obstrictus?

Maxime, uti decretum fuit a Clemente VIII. a quo fuit abrogatum decretum Xysti V. contrarium statuens: sed est prohibita, si debitor sua culpa in impotentiam incidit ex cit. bullis.

203. An iste emissa professione liberetur a restitutione?

Minime, quidquid aliqui in contrarium sentiant; obligatio

(*68*) In hoc casu si indigenti adest spes proxima, quod possit restituere æquivalens illius, quod consumit, juxta nonnullos debet illud accipere titulo dominium transferente; tacitus enim habetur domini consensus, et talis est indigentis necessitas: quare tenetur postea illud restituere.

enim est naturalis, quæ per professionem non dissolvitur: quare ita professus tenetur, modo quo potest, creditoribus satisfacere (69).

204. *Quid est cessio bonorum?*

Est derelictio omnium bonorum, quam debitor ad servandam suam libertatem facit suis creditoribus, quando impos est ad sua debita solvenda (*t*).

205. *An per cessionem bonorum omnino tollitur obligatio restitutionis?*

Minime, sed tantum suspenditur; ita ut, si debitor alia adquirit bona, ad restitutionem teneatur (*u* ✠ 70*).

206. *Qui justa de causa restitutionem suspendit, teneturne postea etiam compensare creditori damnum ex hoc emergens, vel lucrum cessans?*

Varia est DD. ratio: sic tamen distinguendum puto: Vel debitum est ex delicto, et tenetur; æquum enim non est creditorem damnum pati ob delictum debitoris. Vel debitum est ex alio capite, et subdistinguo: si impotentia provenit ex propria culpa, tunc tenetur; ne creditor damnum patiatur ex dilatione culpabili debitoris: si vero impotentia ex culpa non provenit, tunc non tenetur; quia sine culpa non oritur restitutionis obligatio.

---

(69) Immo monasterium ipsum ex bonis a religioso allatis, vel ejus occasione acquisitis (puta per successionem, legatum etc.) tenetur pro ejusmodi debitis satisfacere, *ex plur. can. et ll.*

(*t*) [*art.1218 et 1221.*].

(*u*) *L.* Is qui *4. D. de cess. bonor. et l.* Qui bonis *1. C. qui bonis cedere possunt* [*art. 1224.*]

(✠ 70) Quare tenetur modo, quo potest, laborare, et acquirere, unde integre solvat. At de bonis post cessionem acquisitis relinquenda est ei congrua sui suorumque sustentatio, *l.* Qui bonis *6. D. de cess. bonor. et alibi.* Immo ex bonis ante cessionem habitis probabiliter potest in conscientia aliquid sibi retinere ad sui suorumque necessariam sustentationem; modo non sit debitor ex delicto, neque sua culpa factus sit ad solvendum impos: item possunt uxor, et filii, debitore defuncto.

(*) Exteri, stellionati, fraudulenter decocti, de furto aut usura vetita damnati, computantes, tutores, administratores, et depositarii infideles minime gaudent beneficio cessionis [*art.1222.et 1817.*]

CAPUT XV.

DE CAUSIS QUIBUS EXTINGUITUR RESTITUTIONIS OBLIGATIO.

207. *Quænam sunt causæ, ob quas tollitur obligatio restitutionis?*

Præcipuæ sunt Condonatio, Compositio, Compensatio, et Præscriptio.

SECTIO I.

DE CONDONATIONE.

208. *Quid est Condonatio?*

Est remissio debiti a creditore facta debitori quoad totum, vel quoad partem.

209. *Per condonationem tolliturne restitutionis obligatio?*

Maxime; quia remissio debiti solutioni æquivalet.

210. *Quænam conditiones requiruntur ad validam condonationem?*

Duæ: ut sit omnino libera, et a jure non impedita.

211. *Quænam sunt condonationes a jure impeditæ?*

Sunt sequentes: 1. condonatio a visitatis Ecclesiæ visitatoribus facta de accepto occasione visitationis, præter necessaria ad vitam pro diebus quibus visitant: in quo casu visitatores tenentur duplum intra mensem restituere, non obstante quacumque remissione illis sponte facta: et si duplum non restituant, si sunt Episcopi, Archiepiscopi etc. incidunt in interdictum ab ingressu Ecclesiæ; si sunt inferiores, in suspensionem ab officio et beneficio, donec restituant (x). 2. Condonatio facta inquisitoribus de accepto prætextu inquisitionis (y). 3. Condonatio facta canonico, qui non interfuit choro (z). 4. Condonatio facta judici de-

(x) *Ex cap.* Exigit 2. *de censibus, et exact. in 6.*

(y) *Clement.* Nolentes 2. *de hæret.* (z) *Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 12.

legato, qui causa accessus aliquid accipit, præter esculentum et poculentum libere oblatum, ac expensas necessarias (*a*). Denique condonationes omnes ab eis factæ, qui legitimam non habent administrationem bonorum.

212. *Estne valida condonatio partis debiti facta ob timorem amittendi totum?*

Si facta est per metum aut fraudem debitoris, non valet; cum non sit omnino libera: aliter valet ex ratione contraria.

213. *Remissio facta uni ex concausis damni illati exoneratne alias concausas ab obligatione restitutionis?*

Si facta est causæ principali, puta mandanti, executori principali, aliæ concausæ exonerantur a restitutione; quia condonatio est instar solutionis, et concausæ istæ tenebantur in defectu causæ principalis. Si vero condonatio facta est causæ minus principali, aliæ æquales liberantur a parte; causa principalis tenetur ad totum. Idem ordo est tenendus, si condonatio facta sit uni ex causis negativis.

SECTIO II.

DE COMPOSITIONE.

214. *Quid est Compositio?*

Duplici sensu accipi potest compositio: primo sensu accepta est amicabilis conventio, qua creditor debitori remittit partem debiti certi: quod si est de debito controverso, dicitur transactio. Hoc sensu expressa compositio est quædam condonatio; quare idem de ea dicendum, quod dictum est de condonatione. Altero sensu accepta est facultas a Summo Pontifice obtenta, qua quis potest sibi applicare bona incerta: et de hac mox dicetur (71).

215. *Per compositionem tolliturne obligatio restitutionis?*

Maxime: nam bona incerta essent reponenda in capsam in-

(*a*) *Cap. Statutum 11. §. 4. et 7. de rescript. in 6.*

(71) Adest etiam compositio privata auctoritate facta, cum nempe quis sibi tanquam pauperi consilio Confessarii aliusve viri prudentis bona applicat incerta.

certorum de jure ecclesiastico, in quo Summus Pontifex potest dispensare.

216. Potestne Summus Pontifex compositionem concedere de bonis certis?

Minime; quia bona certa domino debentur jure naturæ, in quo non potest Summus Pontifex dispensare. Excipitur tamen si hoc faciat in pœnam enormis delicti creditoris.

217. Bona per compositionem applicata suntne restituenda domino apparenti?

Maxime, omissa contraria sententia; nam sub hac implicita conditione Summus Pontifex compositionem concedit.

SECTIO III.

DE COMPENSATIONE.

218. *Quid est Compensatio?*

Est debiti et crediti inter se contributio (*b*).

219. Per compensationem extinguiturne restitutionis obligatio?

Maxime, censetur enim esse instar solutionis (*c*).

220. Quænam sunt conditiones ad validam compensationem requisitæ?

Sunt sequentes: 1. ut debitum sit certum et liquidum: 2. ut sit ex justitia commutativa: 3. ut tantum auferatur, quantum est debitum: 4. denique ut fiat compensatio de bonis debitoris, et non de bonis alterius.

221. Quænam conditiones requiruntur, ut compensatio sit licita?

Sunt 1. ut fiat sine damno debitoris, vel tertiæ personæ: quare monendus est debitor ex caritate, ne maneat in mala fide, ne debitum denuo restituat, ne alteri in furtum imputet quod ablatum est compensationis causa etc. 2. ut desit alia via ad debitum recuperandum: at hoc intelligitur de compensatione occulta, non vero de legali.

(*b*) *Modestinus in L.* Compensatio 1. *D. de compensation.*
(*c*) *L.* Ideo 3. *et* Postea quam 21. *D. eod. et alibi* [art. 1243].

222. *Valetne compensatio inter debita diversæ speciei, seu diversæ materiæ, vel ex diversa causa?*

Maxime saltem in conscientia, relicta contraria sententia; quia valor, non rei species, aut causa in debitis attenditur.

223. *In quibus casibus non valet compensatio?*

Non valet 1. in restitutione rei, de qua dominus fuit injuste expoliatus, ut puta per furtum, rapinam etc. 2. in restitutione rei commodatæ, vel depositæ: 3. in eo, quod debetur causa alimentorum sequestrationi non subjectorum (*d*). At hujusmodi juris dispositiones intelligendæ sunt tantum de compensatione legali in foro externo.

224. *Qui promittit se soluturum debitum, potestne uti compensatione?*

Maxime; nam compensatio est instar solutionis.

225. *Potestne compensatione uti, qui ea se non usurum promittit?*

Minime; debet enim promissionem adimplere, cum sit de re licita.

226. *Famuli possuntne aliquid a dominis surripere pro laboris compensatione, quem existimant salario majorem?*

Per se non possunt; quia debitum non est certum, et periculum adest hallucinationis: contrarium fuit ab Innoc. XI. damnatum (*72). Dixi *per se*; nam in aliquibus casibus licet istis compensatione uti; quando nempe desinit periculum hallucinationis: uti esset 1. si hoc faciunt consilio prudentum, v. g. Confessarii, viri probi etc. (73) 2. si dominus non solveret pretium statutum: 3. si dominus pro pecunia daret merces, quas famuli coguntur minoris vendere etc.

(*d*) *L.* Prætextu *fin. C. de commod. et l.* Compensationes *fin. §. 1. C. de compensation.* [*art. 1247*].

(*) In prop. 37. quæ ajebat: *Famuli, et famulæ domesticæ possunt occulte ab heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

(72) Idem dicendum de officialibus civitatis, opificibus, operariis etc.

(73) Si famulus non ex voluntate domini, sed ex propria electione, operas augeat, nihil potest surripere; quia censetur operam condonare ad conciliandam sibi domini gratiam.

227. *Qui necessitate sunt compulsi ad inserviendum parvo pretio, possuntne uti compensatione?*

Si necessitas est communis ob multitudinem servorum, non possunt; quia famulatus decrescit pretio: si vero necessitas est peculiaris, possunt se compensare usque ad infimum pretium; in hoc enim fuerunt læsi (74).

228. *Quid si famulus vi aut metu fuerit compulsus parvo pretio inservire?*

Potest tunc ad medium usque pretium se compensare; quia facile posset habere pretium medium, si talis abesset vis, aut metus.

229. *An quis liberatur a restitutione, si restituat, quod debet, creditori sui creditoris?*

In foro externo si debitoris interest, ut satisfiat creditori sui creditoris, liberatur a restitutione: sic habetur ex cod. noviss. part. 1. art. 1204. 3.° art. 1599. et alibi. In foro interno utrum liberetur, quæstio est apud Theologos.

SECTIO IV.

DE PRÆSCRIPTIONE.

230. *Quid est Præscriptio?*

Est modus acquirendi dominii rei alienæ, vel se liberandi ab aliqua obligatione, tempore et conditionibus a lege definitis (e).

231. *Quare fuit præscriptio introducta?*

Pluribus de causis, et præcipue ne dominia rerum essent semper confusa vel incerta; ne domini essent segnes et negligentes in suis rebus custodiendis; ad vitandas lites etc. (f)

232. *Valetne præscriptio in foro conscientiæ?*

Maxime; princeps enim vi dominii alti in bona subditorum potest rerum dominium in alios transferre, etiam sine consensu et culpa prioris domini, quum hoc postulat bonum commune (75).

---

(74) Excipe tamen, si famulus sponte se obtulisset, et dominus ex pietate potius eo uteretur.

(e) [art. 2125]. (f) *Variis jur. loc.*

(75) Patet etiam ex jur. can. toto titulo de præscription.

233. Quænam conditiones requiruntur ad validam præscriptionem?

Quinque, justus titulus, bona fides, continuata possessio, capacitas rei, et tempus a lege definitum, sicuti patet ex variis juris locis.

234. Sufficitne titulus coloratus?

Maxime; quia titulus verus sua natura dominium transfert; proindeque præscriptione non indiget (76).

235. An detur aliquando præscriptio sine titulo?

Maxime, nempe spatio 30. annorum etiam absque titulo præscribuntur servitutes continuæ apparentes (*g*); et absque tituli exhibitione actiones tam reales, quam personales (*h*): et pro præscriptione mobilium possessio valet pro titulo: attamen qui rem aliquam amisit, vel cui fuit res furto ablata, jus habet eam vindicandi e manu tertii possessoris spatio trium annorum a die amissionis, vel furti (*i*).

236. Bona fides sufficit, ut reperiatur tantum in initio possessionis?

Minime; sed habenda est toto tempore ad præscribendum necessario (*k* *).

237. An mala fides transit a possessore in possessorem?

Minime, sicut habetur in l. 5. pr. D. de divers. tempor. præscrip. alibique, et ex communi Theologorum sententia; quia mala fides unius alteri nocere non debet. Excipitur tamen successor universalis, quia fictione juris una censetur cum defuncto persona: nam *cum in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit, l. 11. D. tit. cit.* (77)

---

(76) Non sufficit tamen titulus falsus, seu opinatus: *e. g.* quis emptionem, donationem etc. adfuisse putat, quæ revera non adfuit. Item non sufficit titulus nullus defectu formæ legalis pro præscriptione decem et viginti annorum [*art.2173*].

(*g*) [*art.611.*]

(*h*) *L.* Super annali *1. §.1. C. de annali exceptione, et l.* Sicut in rem *3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* [*art.2168*].

(*i*)[*art.2185*].(*k*) *Ex cap.* Vigilanti *5. et cap.* Quoniam *20. de præscription. et*[*art.2175.*]

(*) At ex [*art.2174.*] bona fides semper præsumitur, nisi probetur mala fides: et [*art.2175.*] mala fides superveniens scriptura est probanda. Sed hoc intelligitur de foro externo.

(77) Idem constat ex §. *Diutina* 12. Instit. de usucapion. etc. Sic etiam Neapoli fuit sancitum ex decisione quatuor Aularum an. 1738.

238. Quænam possessio requiritur ad præscriptionem?

Possessio pacifica, publica, certa, titulo proprietatis, continua, et non interrupta (*l*).

239. Sufficitne possessio naturalis?

Minime, sed debet esse saltem civilis, uti habetur ex pluribus juris locis; civilis enim, et non naturalis, valet ad transferendum dominium.

240. Quænam res non possunt præscribi?

Omnes res, quæ non sunt in commercio (*m*).

241. Quanti temporis spatium necesse est ad præscribendum?

Spatium triginta annorum necesse est ad præscribendum contra actiones tam personales, quam reales (*n*); contra usumfructum (*o*); contra servitutes (*p*); et eodem tempore præscribuntur aliquæ servitutes (*q* 78). Spatio decem annorum contra præsentes, et viginti annorum contra absentes præscribuntur bona immobilia (*r* *). Item decennio ab acquisita majore ætate præscribitur quæcumque minoris actio contra tutorem relate ad tutelam (*s*); et actio ad aliquem contractum rescindendum etc. (*t*) Quinque annis præscribuntur reditus annuales, sive sint perpetui, sive ad vitam; pensiones alimentariæ, pensiones domorum, vel prædiorum, interesse mutuorum, et quidquid solvitur ad annum, aut ad minus tempus (*u*): item quinquennio aliquæ præscribuntur servitutes. Triennio præscribuntur bona mobilia (*x* 79).

(*l*) [*art.2135*]. (*m*) §. Sed aliquando *1. Instit. eod.* [*art.2132*].

(*n*) [*art.2168.*] (*o*) [*art.542.*] (*p*) [*art.267*]. (*q*) [*art.611.*]

(78) Item spatium et possessio triginta annorum a die nativitatis ultimi filii donantis necesse est, ut possit donatarius præscribere donationem, quæ *ipso jure* fuit revocata ob prolem postea susceptam [*art.891*].

(*r*) *Pr.* Jure civili *Instit. de usucapion. etc. l.* Cum nostri *un. C. de usucap. transform.* [*art.2171*].

(*) Bona immobilia suapte natura dicuntur illa, quæ de loco in locum moveri non possunt. At ex jure nostro permulta mobilia inter immobilia numerantur, aut ex eorum destinatione, aut ob objectum ad quod referuntur; uti videri potest in cod. noviss. part. 1. lib. 2. tit. 1. toto cap. 1.

(*s*) [*art.398.*] (*t*) [*art.1258.*] (*u*) [*art.2183.*] (*x*) [*art.2185.*] *et loc. cit. jur. rom.*

(79) Aliæ extant peculiares præscriptiones sex mensium, anni, biennii etc. uti videri potest in part. 1. cod. noviss. lib. 3. tit. 21. cap. 5. sect. 4. At istæ legis dispositiones actionem negant non præscriptionis ope, sed vi præsumtæ solutionis: quare non valent in foro conscientiæ.

Ex can. *Nemo de annorum* 17. caus. 16. q. 3. ex cap. *Illud autem* 8. ac *Cum vo-*

242. *Quinam dicitur præsens, et quinam absens?*

Dicitur præsens, quando verus dominus moratur in eodem territorio subjecto jurisdictioni magnæ Curiæ civilis (vulgo *Gran Corte Civile*) in quo extat immobile: si vero dominus moratur extra dictum territorium, dicitur absens (y A).

243. *Quid si dominus partim sit præsens, et partim absens?*

Tunc pro quoque anno præsentiæ deficiente duo adduntur absentiæ; sic et vice contraria (z).

244. *An uniantur tempora duorum, vel plurium possessorum?*

Maxime, quomodocumque secundus possessor priori succedit, sive titulo universali, aut peculiari, sive titulo oneroso, aut gratuito (a).

245. *Quotuplici modo interrumpitur præscriptio?*

Duplici modo, naturaliter, vel civiliter: naturaliter interrumpitur, quando possessor tempore ultra annum privatur re, sive a proprio domino, sive a tertia persona (b 80); interrumpitur

---

bis 14. de præscript. et aliis juris can. capit. sicut etiam ex authent. *Quas actiones* C. de sacros. Eccles. ex novell. 131. cap. 6. ad præscribenda immobilia Ecclesiæ Romanæ taxatur spatium centum annorum, et quadraginta ad præscribenda immobilia aliarum Ecclesiarum, locorum piorum etc. Ad præscribenda immobilia ordinis S. Benedicti, et aliorum ordinum ejusdem privilegiis gaudentium, taxatur spatium sexaginta annorum, ex concessione Eugenii IV.

(y) [*art.* 2171].

(A) Jure romano præsentes erant, quando dominus, et possessor in eadem provincia, absentes, si in diversis provinciis domicilium habebant. *l. ult. C. de præscript. longi temporis.* Decem annis inter præsentes, et viginti inter absentes præscribebantur servitutes, *l. cit.* Triginta annis res immobiles (et juxta aliquos etiam mobiles) absque titulo, *l. 8. §. 1. C. de præscript. 30. et 40. ann.* res minorum, *l. 3. C. quibus non objicitur longi temporis etc.* et res immobiles furtivæ in manu tertii, *novell. 119. cap. 7.* Quadraginta annis præscribebantur res fiscales post incorporationem, *l. 4. C. de præscript. 30. et 40. annorum* (ante incorporationem, utpote erant vacantes, sufficiebat spatium quatuor annorum, *l. 10. D. de divers. temporal. præscription. et l. 1. C. de quadrien. præscript.*) et res patrimoniales principis, *l. ult. C. de fundis patrimonial.* et ejus hypothecæ, si ipse debitor rem oppignoratam possidebat, *l. 7. §. 1. C. de præscript. 30. et 40. ann.* Et demum centum anni requirebantur ad præcribendas res civitatum, *l. 24. C. de sacros. Ecclesiis.*

(z) *Cit. novell. 119. cap. 8.* [*art.* 2172]. (a) [*art.* 2141.]

(b) L. Possideri 3. §. 17. *l.* Qui universas 30. §. 3. *D. de acquir. vel amitt. possess. ac alibi* [*art.* 2148. *et* 2149.]

(80) Amissione bonæ fidei etiam interrumpitur præscriptio, *cit. cap.* Vigilanti, *et* Quoniam, *aliubique.*

*

civiliter aliquo actu judiciali, ut puta citatione, aliquo præcepto, aut sequestro indicto possessori etc. (*c* *81*)

246. *An aliquando præscriptio est suspensa?*

Maxime, et pluribus de causis, uti habetur ex cod. noviss. part. 1. lib. 3. tit. 21. cap. 4. sect. 2. ut puta contra minores, et interdictos quoad immobilia etc. ex art. 2158. et 2184. et alibi; inter conjuges, ex art. 2159; in alienatione fundi dotalis, durante matrimonio, ex art. 1374. et 2161. in obligationibus conditionatis etc. art. 2163. et sequent. (*82*) et jure canon. in bonis Ecclesiæ, quando Ecclesia caret Episcopo, Rectore etc. vel inutilem habet (*d* *83*).

247. *Adestne aliqua disparitas inter præscriptionis suspensionem, et interruptionem?*

Adest; nam per interruptionem tempus præteritum plerumque non amplius computatur (*e*): per suspensionem vero, cessante impedimento, computatur præteritum tempus.

(c) *L.* Moræ litis 26. *C. de rei vindicat. et alibi* [*art. 2148. 2150. et seq.*]

(*81*) Nota. Interruptio naturalis prodest omnibus contra quos præscriptio currebat: interruptio civilis prodest tantum ei, qui actum judicialem exercuit.

(*82*) Eædem fere dispositiones erant juris romani.

(*d*) *Ex cap.* Novit ille *1.* Constitutis 3. *ne sede vacante, et alibi.*

(*83*) Item est suspensa tempore hostilitatis, seu belli, *cap.* Ex transmissa *10. de præscription.*

(*e*) *Ex cap.* Illud *8. de præscription.*

TRACTATUS IX.

DE CONTRACTIBUS.

Præcipua restitutionis radix pacta sunt, atque contractus; de quibus jam explanationem aggredimur. In duas dividitur partes eorum tractatio, quarum una de contractibus in genere, altera de contractibus agit in specie.

PARS I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

DE CONTRACTUS DEFINITIONE, AC DIVISIONE.

1. *Quid est Contractus ?*

Est conventio, qua aliquis vel plures se obligant erga aliquem vel plures ad aliquid dandum, aut faciendum, aut non faciendum (*a* *).

2. *Quotuplex est contractus ?*

Multiplex est: et 1. dividitur in formalem seu expressum, et virtualem seu implicitum: primus est, in quo duo vel plures expresse conveniunt de aliqua re: alter est, in quo de re conveniunt tacite et implicite, nempe aliquo facto licito (**). 2. Di-

---

(*a*) [*art.1055.*]

(*) Consona est definitio Ulpiani in l. 1. §. 2. D. de pactis: *Duorum, pluriumve in idem placitum consensus.*

(**) Errant, qui consensum tacitum fundamentum quasi-contratuum esse putant. Ad quasi-contractus sufficit consensus præsumptus, uti constat ex eo, quod ex quasi-con-

viditur in nudum, et vestitum: primus caret exteriori firmamento legis civilis; secundus exterius habet legis civilis firmamentum (*1 A*). 3. Dividitur in nominatum, et innominatum, prout habet, vel non, proprium nomen in lege (2). 4. Contractus vel est unilateralis, vel bilateralis, seu synallagmaticus: primus est, quando obligatur una pars contrahens: secundus quando ambæ partes contrahentes obligantur. 5. Est gratuitus, vel onerosus: primus est, quo pars contrahens alteri præstat beneficium mere gratis; uti est commodatum: alter est, qui ambas obligat partes ad aliquid dandum, vel faciendum; uti est locatio etc. 6. Vel est stricti juris, vel bonæ fidei: primus dicitur, in quo tantum attendendum est, quantum expresse fuit dictum, et conventum: alter est, qui ex bono et æquo interpretationem admittit; quare non expressa pro expressis habet (*3*). 7. Denique contractus vel est purus, vel non purus, prout fit absque, aut cum aliqua circumstantia seu qualitate, quæ limitet contractum (*4 b*).

---

tractu etiam ignorantes, et inviti obligamur, §. 1. *Inst. de oblig. quæ quasi ex contractu* [*art.1325.et seq.*] Lege Cavall. inst. jur. rom. lib. 3. tit. 14. §. 10.

(*1*) Hujusmodi distinctio magis est Theologorum, quam Jctorum: nam jure romano omnis contractus erat vestitus: pacta tantum dabantur nuda.

(*A*) Jure romano simplicia pacta vestiebantur, seu in contractus transibant, atque civilem adquirebant actionem sequentibus modis: 1. si proprium nomen habebant in lege: 2. ex privilegio juris: 3, cohærentia cum aliquo contractu vestito: 4. traditione rei, seu impletione promissi: 5, adjectione juramenti: 6. aliqua verborum formula: 7. litteris, seu per proprium chirographum. Ita constat ex innum. ll.

(2) Ex cod. noviss. part. 1. art. 1061. contractus tam nominati, quam innominati iisdem generalibus regulis subjiciuntur.

Quatuor apud Jctos numerabantur species contractuum innominatorum, scilicet *do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias, l.* Naturalis *5. pr. D. de præscript. verbis etc.*

(*3*) Ex cod. noviss. part. 1. art. 1088. et 1089. conventiones omnes implendæ sunt in bona fide.

(*4*) Contractus conditionatus est species non puri.

(*b*) Expositæ contractuum species habentur ex variis ll. rom. et art. nostri codicis.

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS AD CONTRACTUM ESSENTIALITER REQUISITIS.

3. *Quot conditiones essentiales requiruntur ad valorem contractus ?*

Quinque: consensus, habilitas contrahentium, capacitas rei contractui subjectæ, causa, et forma substantialis, si qua sit a jure præscripta (*c*).

SECTIO I.

DE CONSENSU.

4. *Qualis consensus requiritur ad valorem contractus ?*

Consensus internus, verus, omnino liber, et plene deliberatus, mutuus, et aliquo externo signo declaratus (*5*).

5. *Quomodo potest consensus impediri ?*

Præter defectum usus rationis, potest impediri ex parte intellectus per errorem et dolum; ex parte voluntatis per vim et metum.

6. *Quid est error ?*

Est judicium falsum, quo accipitur una res (vel persona) pro alia.

7. *Quotuplex est ?*

Est 1.° vel circa substantiam, quando nempe una res pro alia accipitur: vel circa qualitates, quando scilicet aliqua res affecta creditur quibusdam qualitatibus, cum sit eis destituta. 2.° Alius est antecedens, quo ablato contractus non fuisset celebratus: et alius concomitâns (seu incidens), sine quo contractus

---

(c) *Plur. ll. rom. et [art.]*

(5) Aliqui contractus perficiuntur solo consensu; veluti emtio venditio: alii consensu et scriptura; sicuti est emphyteusis: aliqui denique consensu et traditione; uti depositûm. Jure romano in aliquibus contractibus præter consensum quædam requirebatur verborum forma; uti erat stipulatio, et acceptilatio, §. Nunc transeamus *fin. Instit. de obligation.*

esset celebratus, sed non tam de facili: primus est causa contractus; secundus contractum comitatur. 3.° Error potest esse vel ab ipso decepto, vel ab alio contrahente, vel a tertia persona. Eædem fere distinctiones assignantur de dolo.

8. Estne validus contractus per errorem vel dolum celebratus?

Vel error aut dolus est circa substantiam aut qualitates substantiales, et contractus est nullus, sive error sit antecedens, sive concomitans; quia semper deficit actualis consensus (*d*). Vel error aut dolus versatur circa qualitatem accidentalem, et contractus est validus; adest enim sufficiens consensus (*e 6*). At si qualitas accidentalis apposita sit uti conditio *sine qua non*, error circa eam etiam nullum reddit contractum; quia deficit consensus.

9. An error circa personam, cum qua contrahitur, reddat contractum invalidum?

Maxime, si contractus est gratuitus; quia persona (recipiens) in contractibus gratuitis est objectum substantiale. Minime, si contractus est onerosus, cum sit persona objectum accidentale (*f*): excipiuntur tamen 1. matrimonium, et sponsalia, in quibus persona est objectum substantiale, quamvis sint contractus onerosi: 2. cum personæ qualitas in ipsa redundat contractus substantia; uti esset artifex, magister etc. præ alio peritior etc. quare error circa personam invalidum reddit contractum.

10. An contractus per errorem vel dolum circa qualitatem accidentalem celebratus possit rescindi?

Maxime in foro conscientiæ ex communi DD. dummodo sequentes concurrant conditiones: 1. ut dolus vel error sit antecedens; nempe dans causam contractui; quia cum errore vel

(*d*) *L.* Si per errorem *15. D. de jurisdict.* Alioquin *11. et* Cum ab eo *41. §. 1. D. de contrah. emt. etc. ac* Non idcirco *9. C. de juris et facti ignorantia* [*art. 1063. 1064. et 1070.*]

(*e*) *L.* Aliter *10. et* Alioquin *11. D. de contrah. emt. etc.* [*art. 1064.*]

(6) Etiamsi error dederit causam contractui, secundum communem et probabiliorem rationem.

Contractus gratuiti per errorem circa substantiam celebrati sunt invalidi, quando error est in damnum dantis; quia deficit consensus: sed si error est in damnum recipientis, contractus gratuiti sunt validi; nam si dans vult majus donare, a fortiori vult minus.

(*f*) *Ex* [*art. 1064*].

dolo concomitante etiam contractus fuisset celebratus: 2. ut error vel dolus sit ab alio contrahente; requiritur enim injuria ex parte istius: quod si dolus procedat a tertio, contra istum deceptus habet actionem de dolo: 3. ut deceptus velit contractum infirmari; *nam deceptis, non decipientibus opitulatur lex* (g): 4. denique ut contractus sit dissolubilis (7).

11. Valetne contractus per vim celebratus?

Minime; nam deficit consensus (h).

12. Suntne validi contractus per metum gravem celebrati?

Utrum sint validi de jure naturæ, quæstio est: alii affirmant; quia habetur sufficiens consensus, et metus non tollit voluntarium: alii vero negant; quia sub metu gravi non adest consensus plenus, et omnino liber (8). De jure civili novo sunt nulli, uti patet ex cod. noviss. part. 1. art. 1063. et sequent. (9) De jure positivo veteri videntur potius esse rescindibiles, quam invalidi (i): at erant omnino invalidi contractus in hisce versiculis contenti *Tutor*, *Judicium*, *Dos*, *Sacrum*, *Copula*, *Votum*: *Hæc sex vi facta de jure scias fore nulla* (k).

13. Quid venit per prædicta verba?

Per verbum *Tutor* venit auctoritas tutoris vel curatoris metu extorta (l). *Judicium* absolutio a censuris, et earum revocatio; et metum incutiens ad hujusmodi effectum excomm. ipso facto incurrit nemini reservatam (m): item intelligitur quævis jurisdictio per metum gravem obtenta (n). *Dos* promissio, et solu-

---

(g) *L.* Et primo 2. §. 3. *D. ad Sctum Vellejan.*

(7) Tota hæc theologorum est, non legis dispositio.

(h) [*art.* 1065. 1066. *et* 1067].

(8) Correlata sunt jus, et obligatio: quare deficiente jure, deficere oportet obligationem: ideoque si uni non est jus cogendi, alteri non incumbit obligatio præstandi id, ad quod injuria est coactus.

(9) Quamvis metus procedat a tertia persona; quia metus præcaveri non potest, uti error et dolus, *l.* 14. §. 3. *D. de eo quod metus causa* [*art. cit.*]

(i) *L.* Venditiones *ult. C. de his, quæ vi metusque causa, et ex cap.* Abbas. 2. *de his, quæ vi metusve causa, alibique.*

(k) *Glossa in cit. cap.* Abbas.

(l) *Ex l.* Quamquam 1. §. 1. *et l.* Nulla 2. *D. de auctor. et consensu tutor.*

(m) *Cap.* Absolutionis *un. de iis, quæ vi metusve causa in 6.*

(n) *L.* Consensisse 2. *pr. D. de judiciis.*

tio dotis (o). *Sacrum* promissio, vel traditio rerum Ecclesiæ (p). *Copula* matrimonium (q), et secundum aliquos etiam sponsalia, utpote sunt via ad matrimonium (r). *Votum* Professio religiosa (s): et idem dicendum ex pari ratione de voto castitatis in sacris ordinibus (10).

14. *Quot conditiones requiruntur, ut contractus per metum celebrati sint invalidi?*

Sequentes: ut metus sit revera gravis, a causa libera, injuste incussus, ad extorquendum consensum (t).

15. *Quid si contractus initus sit per metum levem?*

In utroque foro contractus est validus; nam metus levis parum minuit voluntarium, et parum pro nihilo reputatur. Hujusmodi contractus nequit infirmari in foro exteriori, in quo metus levis pro nullo habetur ad lites vitandas (u). Utrum rescindi possit in foro conscientiæ, inter Theologos non convenit: alii affirmant, ad tollendam injuriam, modo metus sit injuste incussus, ad extorquendum consensum, et, antecedens, contractus sit rescindibilis, et metum passus velit illum rescindere: alii, et forte probabilius, negant; quia vere sponte consensit, qui, cum facile potuisset, levem metum non rejecit (11).

(o) *L.* Si mulier 21. §. 3. *D. de eo, quod metus causa.*

(p) *Cap.* Pervenit 2. *de jurejur.*

(q) *Cap.* Cum locum 14. *de sponsalibus, et alibi.*

(r) Et eruitur ex cap. *Ex litteris* 11. de desponsat. impub.

(s) *Cap.* Perlatum 1. *de his, quæ vi metusve caussa.*

(10) Sic etiam irrita est Prælati electio per metum gravem, *ex cap.* Ubi periculum 3. §. 4. *de élect. et elect. potest. in 6.*

(t) *Ex variis juris locis.*

(u) *Ex l.* Metum 6. *D. de eo quod metus causa, et* [*art. 1066. et 1068.*]

(11) Idem dicito de contractibus per metum reverentialem aut per preces importunas celebratis.

SECTIO II.

DE HABILITATE CONTRAHENTIUM; SEU DE IIS, QUI POSSUNT CONTRAHERE.

16. *Quinam possunt contrahere?*

Omnes qui a lege non declarantur incapaces (*x*).

17. *Quinam sunt a lege incapaces declarati?*

Minores, interdicti, mulieres uxoratæ, et omnes alii, quos lex contrahare prohibet (*y*).

18. *Quinam dicitur* minor?

Qui nondum complevit annum vigesimum primum suæ ætatis, sive mas, sive fœmina sit (*z B 12*).

19. *In quotuplici statu potest esse minor?*

Potest esse aut sub patria potestate, et dicitur filiusfamilias, aut sub tutore, aut emancipatus (*13*).

20. *Quid est patria potestas?*

Est quædam auctoritas et jus, quod parentes habent in filios legitimos, et adoptivos quoad aliquos effectus (*a C*).

(*x*) [*art.1077.*] (*y*) [*art.1078.*] (*z*) [*art.311.*]

(*B*) Jure romano minor erat, qui nundum expleverit annum XXV. suæ ætatis, *pr. Inst. de curat. et l. 1. §. 2. de minoribus.*

(*12*) Infans dicitur, qui nondum pervenit ad septennium seu ad rationis usum: infantiæ proximus dicitur mas a septennio usque ad annum decimum cum dimidio; fœmina a septennio ad annum nonum cum dimidio: proximus pubertati dicitur mas ab anno decimo cum dimidio usque ad decimum quartum completum, et fœmina a nono cum dimidio usque ad decimum secundum completum (jure tamen romano quis pubertati dicebatur proximus, quando paucis mensibus, puta sex, a pubertate distabat): puberes sunt mas, qui compleverit XIV. annum, et fœmina, quæ compleverit annum XII. suæ ætatis: ante hoc tempus dicuntur impuberes.

(*13*) Pupillus dicebatur ille, qui in impubertate exibat e patria potestate; et minor, qui discedebat e patria potestate ante majorem ætatem: pupillo etiam invito dabatur tutor, minori volenti curator. At ex cod. noviss. prorsus abolita est distinctio puberum, et impuberum, pupillorum et minorum: omnes enim aut minores, aut majores sunt.

(*a*) *Ex* [*art.287.288 et 289.*]

(*C*) Jure romano patria potestas competebat non solum in filios filiasve familias, sed etiam in reliquos ex filiis non emancipatis natos, §. 3. *Instit. de patr. potest.*

21. Quinam sunt effectus patriæ potestatis?

Præcipui sunt sequentes: 1. pater, durante matrimonio, est administrator bonorum filiorum minorum (*b*): 2. habet usumfructum bonorum filiorum usquedum non pervenerint ad annos 18. completos, aut usque emancipationem, si fiat ante hanc ætatem (*c*): 3. potest filios moderate punire etiam carcere (*d 14 D*).

22. An mater habeat usumfructum bonorum filiorum?

Mortuo patre, mater habet dimidium hujusmodi ususfructus usque ad majorem ætatem filiorum, vel eorum emancipationem, modo alias non contrahat nuptias (*e*).

23. In quibus filiorum bonis pater et mater usumfructum non habent?

1. In bonis a filiis propria industria separatim comparatis: 2. in bonis, quæ filiis sunt donata vel legata expressa conditione, ut pater aut mater usumfructum non habeat: 3. quando filius succedit pro patre indigno, tunc pater nullum habere potest usumfructum ex tali hereditate (*f*).

24. Quænam sunt hujusmodi ususfructus onera?

Sunt 1. onera aliorum usufructuariorum: 2. alimenta, et congrua filiorum educatio: 3. solutio pecuniæ quotannis creditoribus debitæ: 4. expensæ funerum, et postremæ infirmitatis (ipsorum filiorum). Mater pro dimidio ad onera ista tenetur (*g*).

25. Quomodo desinit patria potestas?

Quoad honorem et venerationem nunquam desinit (*h*): quoad effectus a lege determinatos desinit quando filius annos vigintiquinque compleverit, aut sit ante hanc ætatem emancipatus,

---

ideoque filii, qui ex filiofamilias nascebantur, in avi erant potestate. At nulla erat in matre patria potestas, §. 10. *Instit. de adoption.*

(*b*) [*art. 291. et 312.*] (*c*) [*art. 298.*] (*d*) [*art. 302. et sequent.*]

(*14*) Si pater est absens, mater exercebit omnia viri jura relate ad filiorum minorum educationem, et eorum bonorum administrationem [*art. 145.*]

(*D*) Jure romano novo effectus patriæ potestatis præcipui erant 1. una censebatur persona pater et filius: 2. pater per filium adquirebat, nonnullis exceptis: 3. nulla obligatio civilis et actio inter patrem et filium, nisi de peculio castrensi vel quasi-castrensi, de peculio adventitio conservando, de alimentis præstandis, et de aliquibus criminibus etc. 4. filium moderate castigare, *ex variis ll.*

(*e*) [*art. 298. et 300.*] (*f*) [*art. 301. et 653.*] (*g*) [*art. 299.*] (*h*) [*art. 287.*]

aut contraxerit matrimonium, aut denique quando vivit domo et re familiari a patre divisa (*i* **E*).

26. *Potestne filius familias contrahere?*

Si est minor, non potest contrahere; pater enim habet bonorum filii minoris administrationem (*k*). At potest, si pervenerit ad annum XVI. suæ ætatis testamento disponere usque ad dimidium illius quantitatis, quam lex majori permittit disponere (*l*). Item potest contrahere ac donare occasione matrimonii, approbatione tamen illorum, quorum consensus requiritur ad nuptias celebrandas (*m*). Si vero est major, potest contrahere de aliis; at non potest de sequentibus sine consensu patris: 1. hypothecare, alienare, aut donare immobilia propria industria non acquisita: 2. mutuum accipere, nec etiam sub aspectu alterius contractus: 3. sortes propria industria non acquisitas exigere, ac istarum debitores liberare (*n* 15*F*).

(*i*) [*art.288.*]

(*) Emancipatio est relaxatio patriæ potestatis coram judice competente, *l. ult. C. de emancip.* Qua ratione et modo sit peragenda, legatur in cod. noviss. part. 1. art. 400. et 401.

(*E*) Jure romano solvebatur patria potestas morte patris naturali, vel civili; captivitate patris, sive filii; servitute pœnæ, scilicet damnatione in metallum, ad bestias etc. deportatione patris, vel filii; emancipatione filii; datione filii in adoptionem uni ex adscendentibus; per electionem filii ad dignitatem patriciatus, ad consolatum, ad præfecturam prætorii et urbis, ad Episcopatum, *ex permultis ll.* Sic etiam ex usu solvebatur patria potestas per Cardinalatum: et ex lege canonica per lapsum patris in hæresim, *ex cap.* Quicumque 2. §. *4. de hæret. in 6.*

(*k*) [*art.312.*] (*l*)[*art.820.*] (*m*) [*art.1049.et 1352.*] (*n*) [*art.295.*]

(15) Si pater nolit consensum præstare, filius major potest dictos actus exercere auctoritate obtenta a tribunale civili, postquam patrem directe in jus vocaverit [*art.296.*]

(*F*) Jure romano peculium filiorum familias vel militare, vel paganum erat, quorum primum in castrense et quasi-castrense, alterum in profectitium et adventitium dividebatur. Peculium castrense omnia complectebatur, quæ occasione militiæ castrensis filiisfamilias adquirebatur. Quasi-castrense peculium ea continebat, quæ filiusfamilias occasione militiæ togatæ, et ex professione artium liberalium adquirebat: ad hoc referebatur quoque quidquid ad Clericum ex beneficio et officio ecclesiastico aut sacris functionibus perveniebat. Peculium profectitium erat, quod e re patris proficiscebatur, vel occasione et contemplatione patris filio adquirebatur. Adventitium denique erat, quod ex alia quavis causa adquirebatur. De castrensi et quasi-castrensi plenum habebat filius jus et dominium: atque ideo inter vivos et mortis caussa libere disponebat, (modo erat pubes, quod si impubes erat, judicis requirebatur auctoritas) immo illud et ab intestato ad heredes transmittebat. Peculium profectitium integrum

27. *Quinam dicitur tutor?*

Ille qui datur minori non emancipato, mortuo patre, ut curam habeat primario personæ minoris, secundario bonorum ejus (o).

28. *Potestne minor, qui sub tutore est contrahere?*

Non potest ex se, sed eum in omnibus actibus civilibus repræsentat tutor (p 16 G). At potest testari, et occasione matrimonii donare, contrahere etc. sicuti dictum est in præc. num. 26.

29. *Minor emancipatus potestne contrahere?*

Potest omnes actus facere simplicis administrationis, e. g. bo-

---

erat patris; tantummodo filius liberam ejus habebat administrationem. Retinebat vero filius bona profectitia, bonis paternis a fisco occupatis; sicuti etiam post emancipationem, si pater eá non adimebat. Adventitii demum peculii proprietatem filius habebat; pater vero ordinario administrationem et usumfructum, quousque vivebat: et patri filium emancipanti ipso jure cedebat bonorum adventitiorum ususfructus dimidia pars. Dixi *ordinario etc.* nam hujusmodi ususfructus et administratio ad patrem non spectabat, 1.° si filius invito patre hereditatem adibat; 2.° si filio ea conditione quid donatum relictumve esset, ne pater usumfructum haberet; 3.° si filius una cum patre in hereditatem fatris germani succedebat; 4.° si pater in bonis filii dolose versatus fuisset; 5.° denique si pater filio usumfructum cedebat, aut solus ususfructus erat filio donatus vel relictus: in hisce casibus peculium adventitium dicebatur *irregulare, plenum, et extraordinarium.* De bonis profectitiis, et adventitiis regularibus mobilibus, non pretiosis filius pubes poterat contrahere patris consensu: at si bona adventitia erant immobilia, aut mobilia pretiosa, aut filius erat impubes, requirebatur quoque judicis auctoritas. De adventitiis irregularibus poterat filius inter vivos disponere, non vero causa mortis. Demum mobilia pretiosa dicebantur illa, quæ ultra triennium servari poterant. Hæc omnia habentur ex innumeris ll. jur. rom. Quomodo sint in nostro regno mutata, ex supradictis patet.

(o) §. Certæ autem *4. Instit. qui testam. tutores dari possunt*, *l.* Certarum *12. et l.* Quia *14. D. de testam. tutela, et* [*art.373.*]

(p) [*cit.art.373.*]

(16) Quinam a lege assignentur tutores; quid possint vel non tutores; quomodo finiatur tutela etc. vide cod.novis. part.1.lib.1.tit. 10. toto cap.2. Præcipuas tutoris et minoris obligationes indicatas invenies in append. II. num. 32. et sequent. ac not. subject.

(G) Legibus romanis erat sancitum, quod pupillus infans nullo modo agere poterat; sed omnia administrabat tutor. Si pupillus erat infante major, auctoritate tutoris poterat contrahere de mobilibus non pretiosis: utrum remaneret naturaliter obligatus de istis contrahens absque tutoris auctoritate, quæstio est. Ut vero valide contraxisset de immobilibus, aut mobilibus pretiosis, præter tutoris auctoritatem, necesse erat magistratus decretum; ita ut absque magistratus decreto ne naturaliter quidem remaneret obligatus. At nullo auctore pupillus meliorem faciebat suam conditionem, idest quocumque titulo lucrativo poterat adquirere: tamen non poterat, nisi auctore tutore, hereditatem adire, aut ex fideicommisso suscipere. Demum etiam inscio tutore pupillus remanebat obligatus, si ex contractu locupletior factus erat, aut ex re descendebat obligatio, veluti ex maleficio, dolo suo etc.

na sua locare tempore novem annos non excedente, annuos reditus exigere, atque istorum debitores liberare. Item si mercaturam exercet, habetur uti major quoad facta ad eandem mercaturam spectantia. E contrario non potest sine consensu curatoris actionem instituere super immobilia, nec contra eam se defendere, nec sortes exigere, nec earum debitores liberare: sic non potest sine deliberatione consilii-familias a tribunale civili confirmata mutuum accipere quocumque colore: neque immobilia alienare, hypothecare, donare etc. sine patris consensu, uti dictum est de minore non emancipato (*q* *H*).

30. Quinam dicuntur interdicti?

Dicuntur illi, quibus ob habitualem imbecillitatem, aut dementiam, aut furorem bonorum suorum interdicitur seu prohibetur administratio (*r*). Istis datur tutor, et alius tutor subrogatus, eodem modo, quo datur minoribus (*s*).

31. An isti possint contrahere?

Minime; æquiparantur enim minori, qui est sub tutore (*t*).

32. Quotuplicis generis sunt bona conjugatæ?

Si matrimonii contractus est sub regimine dotali, bona conjugatæ sunt vel dotalia, vel paraphernalia: dotalia sunt illa, quæ mulier fert viro ad sustinenda onera matrimonii (*u*): paraphernalia sunt bona omnia uxoris, quæ non fuerunt in dotem constituta (*x*). Si vero matrimonii contractus est sub communione, tunc bona uxoratæ sunt communia, vel particularia: communia dicuntur illa, quæ dedit mulier ad communionem seu societatem cum suo viro ineundam (*y*): particularia vero, quæ sunt extra communionem.

33. Quinam habet dominium de prædictis bonis?

De bonis dotalibus vir habet administrationem, et usumfru-

(*q*) [*art. 404. 405. 406. 407. et 410.*]

(*H*) Quod spectat ad leges romanas minor non habens curatorem valide contrahebat de mobilibus non pretiosis; et hoc potius, si aderat curatoris consensus etc. Si vero curatorem habebat, sine istius consensu naturaliter tantum remanebat obligatus de iisdem bonis contrahens. De immobilibus aut mobilibus pretiosis absque judicis decreto invalide contrahebat in utroque foro, sive haberet curatorem, sive non.

(*r*) [*art. 412.*] (*s*) [*art. 428.*] (*t*) [*art. 425. et 432.*]

(*u*) [*art. 1353.*] (*x*) [*art. 1387.*] (*y*) [*art. 1395.*]

ctum; uxor ordinario habet proprietatem (z). De bonis paraphernalibus uxor habet proprietatem, possessionem, usumfructum, et administrationem (a). At si omnia uxoris bona paraphernalia sunt, et in contractu nullum adest pactum eam obligans ad aliquam sustinendam partem onerum matrimonii, tenetur ipsa contribuere ad ista ferenda onera usque ad tertiam partem suorum redituum (b). De bonis communibus solus vir habet administrationem, uxor habet proprietatem (c). De bonis vero particularibus idem potest dici, quod statutum est de paraphernalibus (17).

34. An aliquando habeat vir de bonis dotalibus etiam proprietatem?

Maxime; et 1. quando dos consistit in numerata pecunia; dummodo non adsit conditio, ut hæc pecunia ad aliquid comparandum sit impensa: 2. quando dantur in dote bona mobilia æstimata absque declaratione, quod æstimatio pro venditione non valeat: 3. quando dantur immobilia pro solutione dotis in pecunia constitutæ: 4. denique quando dantur immobilia æstimata cum declaratione, ut penes virum sit proprietas (d).

35. Uxorata an possit contrahere?

Non potest de bonis dotalibus; quia vir habet eorum administrationem, et usumfructum: at potest consensu viri, vel auctoritate judicis hæc bona dare ad suos collocandos filios ex antecedenti matrimonio susceptos, servato usufructu viro dissentienti (e): item consensu viri potest hujusmodi bona dare ad filios communes collocandos (f). De bonis communibus non pot-

---

(z) *L.* Pro oneribus 20. *C. de jure dotium, et alibi.* [*art. 1362. et alibi.*]

(a) *L.* Hac lege *8. C. de pactis conventis etc.* [*art. 1389. et alibi.*]

(b) [*art. 1388.*] (c) [*art. 1396. et 1399.*]

(17) Probabilius non tenetur uxor de suis bonis debita solvere a viro contracta ad alendam familiam, sive vir sit locuples, sive pauper: nam actio creditorum est contra virum tantum; et licet in viro ratione inopiæ suspensa sit obligatio uxorem alendi, non est tamen extincta; quare si ex accepto a creditoribus uxorem alit, ipse suum debitum præstet. Excipe tamen, 1. si uxor aliquo modo a lege obligetur ad onera matrimonii ferenda; tunc tenetur ad debita solvenda, quatenus ad ista onera obligatur: 2. si uxor ipsa concurrit ad hujusmodi debita contrahenda.

Idem dicendum de filiis circa debita a parentibus contracta pro eorum alimentis.

(d) *L.* Quotiens 16. Res in dotem *42. D. de jure dotium, et l.* Quotiens *5. C. eod. aliisq. innumer. ll.* [*art. 1364. 1365. et 1366.*]

(e) [*art. 1368.*] (*f*) [*art. 1369.*]

est contrahere sine consensu viri, quamvis adsit judicis auctoritas: excipitur, si contrahat uti publica negotiatrix pro rebus suæ mercaturæ (g). De bonis paraphernalibus potest contrahere; quia eorum habet proprietatem, et administrationem: at sine viri auctoritate nequit ea alienare, donare, hypothecare, acquirere titulo gratuito vel oneroso, neque pro iis in judicio stare (h 18). Excipitur tamen donatio facta filio sive communi, sive ex antecedenti matrimonio, et quævis obligatio, quam contraxerit uti publica negotiatrix (i 19).

36. *Potestne uxorata testamentum conficere sine viri auctoritate?*

Maxime; patet ex cod. noviss. part. 1. art. 215.

37. *Quinam alii non possunt contrahere?*

Non potest tutor cum suo minore, etiam facto majore, ante rationum redditionem (k). Item non potest prodigus sine adsistentia consulentis a tribunale nominati, in iis de quibus prohibitum est ei contrahere, agere etc. (l) Et alii peculiariter, sicuti suis dicetur locis (20).

SECTIO III.

DE MATERIA, CAUSA, ET FORMA CONTRACTUS.

38. *Quænam est Materia contractus?*

Materia seu objectum contractus est omne id, de quo con-

(g) [*art. 1397.*] (h) [*204. 206. et 1389.*]

(18) At si vir suam neget auctoritatem, uxor potest hæc agere auctoritate judicis [*art. 207. et 208.*] Si autem vir sit minoris ætatis; omnino habenda est judicis auctoritas, ut possit uxor contrahere, aut in judicio stare [*art. 213.*]

(i) *Ex* [*art. cit. 206. et art. 209.*]

(19) Quod dictum est de paraphernalibus valere etiam potest de bonis particularibus; eandem enim habent rationem, et [art. 206. ac 209.] generice loquuntur.

(k) [*art. 395. et alibi.*] (l) [*art. 436.*]

(20) Beneficiarii quoad eam fructuum beneficii partem, quæ ad congruam sui sustentationem et status decentiam est necessaria, ita fiunt domini, ut de ea libere possint disponere. De superfluis non possunt licite (neque valide, juxta alios) disponere: sed tenentur ex religione (et ex justitia quoque, secundum alios) illos in pauperes erogare. B. A. Ligorius sentit beneficiarios suos facere fructus superfluos, sed cum onere illos in pauperes erogandi. Possunt tamen beneficiarii superfluos fructus aliqualiter impendere ad suam familiam sustentandam, præsertim si sit indigens.

trahitur: uti res, rei simplex usus, vel possessio, aliqua actio facienda, vel non facienda, vel ferenda etc. (*m*)

39. Quænam res possunt esse contractus materia?

Illæ tantum quæ sunt in commercio (*n*).

40. Quid est Causa?

Est ratio habilis ad obligationem inducendam (*o*).

41. Estne validus contractus sine causa, vel ex causa falsa, aut illicita?

Minime, uti habetur ex parte 1. cod. noviss. art. 1085 (21).

42. Quid et quotuplex est forma?

Forma est ritus a lege præscriptus in contractus celebratione servandus. Duplex esse potest, substantialis, et accidentalis: prima dicitur illa, sine qua contractus est nullus ex dispositione juris; veluti est in matrimonio præsentia Parochi et duorum testium, in donatione præsentia Notarii etc. altera dicitur illa, qua deficiente contractus est validus, sed illicitus; cujusmodi sunt denuntiationes matrimonio præmittendæ (22).

CAPUT III.

DE QUALITATIBUS, QUÆ POSSUNT IN CONTRACTIBUS APPONI.

43. *Quænam qualitates possunt in contractibus apponi?*

Præcipuæ sunt *Adjectio diei*, *Conditio*, *Modus*, *Causa*, et *Demonstratio*.

SECTIO I.

DE CONTRACTU ADJECTIONE DIEI CELEBRATO.

44. *Quando habetur Adjectio diei?*

Quando aliquod tempus additur in contractu.

(*m*) [*art. 1080. et 1081.*] (*n*) [*art. 1082. et sequent.*] (*o*) *Ex variis juris locis.*

(21) At valet contractus, quamvis caussa non sit expressa [*art. 1086.*]

(22) Non desunt docentes validum esse in conscientia contractum sine forma substantiali: sed forte minus probabiliter. Alii vero tenent in his contractibus præferendum esse possessorem, donec per judicis sententiam ad restituendum damnetur.

45. *Quando obligat contractus adjectione diei initus?*

Vel dies est certa, et statim obligat contractus; nam dies certa apponitur non ad suspendendam obligationem, sed ad differendam solutionem (23). Vel dies est incerta, et non obligat contractus, nisi adveniente die; quia censetur uti factus sub conditione (p).

46. *An aliquando contractus obliget a principio, quamvis dies sit incerta?*

Maxime; et 1. si dies quamvis incerta sit quando evenerit, certo tamen est futura: e. g. Promitto tibi centum, quando pater tuus obierit; nam hujusmodi dies habetur, et est in se certa. 2. Quando dies incerta apposita est in favorem creditoris; quia obligatio est absoluta quoad debitorem, et differtur solutio in gratiam creditoris (24).

SECTIO II.

DE CONTRACTU SUB CONDITIONE INITO.

47. QUid est Conditio?

Est factum, quod id, de quo contrahitur, in futurum eventum suspendit (q). Conditio explicatur per particulas *si*, *nisi*, *alioquin*, *casu quo*, *non aliter etc.*

48. *Quotuplex est?*

Multiplex est: et 1. alia est propria, et alia impropria: prima est de futuro contingente; dicitur propria, quia suspendit consensum, et est vera conditio: secunda est de præterito, vel de præsenti, vel de futuro necessario; quare non suspendit consensum, et abusive dicitur conditio. 2. Conditio propria vel

---

(23) Tempus appositum semper præsumitur in favorem debitoris; nisi aliud eruitur ex stipulatione contractus, aut ex ejus circumstantiis, *l. 41. §. 1. D. de verb. obligation.* [*art. 1140.*] At si debitor suum patrimonium prodigat, vel suo facto cautiones creditoris imminuat, nequit uti beneficio adjectionis diei [*art. 1141.*]

(p) *L.* Stipulatio ista *28. § 16. D. de verb. obligation.*

(24) In hisce exceptionis casibus, et quando dies est certa, jus et obligatio sunt realia; quare transeunt ad heredes.

(q) *Ex §.* Sub conditione *4. Instit. de verb. obligation.*

est possibilis, vel impossibilis; per se patet. 3. Possibilis vel est honesta, vel turpis: honesta est, quæ adimpleri potest absque peccato: turpis, quæ non potest, nisi cum peccato adimpleri. 4. Est vel casualis, vel potestativa, vel mixta: prima dependet a casu; altera dependet ab uno contrahentium; tertia eodem tempore dependet et ab uno contrahentium, et a tertia persona (r 25). 5. Denique aut est suspensiva, aut resolutiva: prima est illa, a cujus existentia dependet obligationis valor: altera est, a cujus existentia obligatio revocatur, uti si nunquam fuisset contracta (s).

49. *An valeat, et quando contractus sub conditione celebratus?*

Si conditio est impropria, contractus est a principio validus, dummodo conditio sit vera; quia non suspenditur consensus: si autem conditio non est vera, contractus a principio est nullus; a principio enim non adest consensus (t). Si conditio est propria, possibilis, et honesta, contractus a principio est suspensus, valet verificata conditione; quoniam a principio suspenditur consensus (u). Si conditio propria est impossibilis, vel turpis; contractus est a principio invalidus; nam ad impossibilia et turpia nulla datur obligatio (x). At si conditio propria impossibilis, vel turpis apposita sit in donatione inter vivos, vel in testamentis, vel in matrimonio, contractus a principio est validus; quia in hisce contractibus conditio impossibilis vel turpis rejicitur a jure, et habetur tanquam non posita (y 26). In matrimonio autem si conditio turpis alicui opponatur de tribus bonis substantialibus, matrimonium est nullum; nihil enim potest subsistere sine propria substantia (z).

(r) [*art. 1122. 1123. et 1124.*]

(25) Dici quoque potest mixta conditio, si partim ab arbitrio, partim a casu pendet.

(s) [*art. 1134. et 1136.*] (t) [*art. 1134.*] (u) [*ibid.*]

(x) §. Si impossibilis *11. Instit. de inutil. stipulation. l.* Impossibilis *7. D. de verbor. obligation.* [*art. 1125.*]

(y) §. Impossibilis *10. Instit. de hered. instit.* [*art. 816. et alibi*] *et ex cap.* Si conditiones *ult. de condit. appos.*

(26) At si conditio turpis vel impossibilis serio sit apposita, ita ut nullo modo intendant contrahentes sine tali conditione contrahere, tunc contractus seu dispositio est nulla; quia deficit consensus.

Quod statutum est de conditione in matrimonio, idem tenent Theologi de conditione in professione religiosa; ista enim est quoddam matrimonium spirituale.

(z) *Ex eod. cap.* Si conditiones.

50. Oriturne aliquod jus et obligatio ex contractu conditione propria inito ?

Creditor potest agere pro conservatione sui juris (*a*): in debitore oritur obligatio expectandi conditionis eventum, et se non reddendi impotentem (27).

51. Requiriturne novus consensus post conditionis eventum ?

Minime, dummodo non sit revocatus; quia idem consensus, qui erat suspensus, verificata conditione evadit absolutus (*b* 28).

SECTIO III.

DE CONTRACTU SUB MODO CELEBRATO.

52. *Quid et quotuplex est Modus ?*

Est clausula, qua adjicitur aliquod onus contrahenti; sed non suspenditur dispositio. Explicatur per particulas *ut*, *ad*, *ne*, *pro etc.* Esse potest possibilis vel impossibilis, honestus vel turpis, prout dictum est de conditione.

53. Quando valet contractus sub modo celebratus ?

Valet a principio; quia modus non suspendit consensum (*c* 29). Gravis tamen adest ex justitia obligatio modum præstandi, dummodo sit possibilis et honestus: si vero modus sit turpis vel impossibilis, non est implendus; nam ad turpia et impossibilia nulla datur obligatio. At si modus, possibilis sive impossibilis, honestus sive turpis, opponatur substantiæ contractus, tunc contractus est nullus; nihil enim potest subsistere sine propria substantia.

(*a*) [*art.1133.*]

(27) Hinc, si obligatus conditionem impedit, conditio habetur uti adimpleta, *l. 7. pr. D. de contrahenda empt. etc. alibique* [*art.1131.*] E contrario obligatio est nulla, si sit contracta sub conditione potestativa ex parte obligati [*cit.art.1127.*]

(*b*) *L. cit.*

(28) Utrum in matrimonio verificata conditione novus requiratur consensus, disputant DD. alii affirmant; quia in matrimonio consensus debet esse de præsenti: alii vero probabilius negant; nam consensus non revocatus virtute præsens est, cum evadit absolutus per conditionem impletam.

Hactenus dictum est de conditione suspensiva: idem dicendum ratione inversa de conditione resolutiva ad contractus dissolvendos.

(*c*) *Ex l.* Si doceas *1. C. de donat. quæ sub modo etc.*

(29) Ex dictis patet promissionem, legatum etc. sub modo posse peti ante modi

54. *Potestne revocari promissio, legatum etc. quando modus possibilis et honestus non servatur?*

Potest, quando ex circumstantiis colligitur modum fuisse appositum uti causam finalem, vel uti conditionem sine qua non. Aliter non potest revocari: sed compelli potest promissarius etc. ad modum servandum. At donatio et legatum ad causas pias nullo modo revocari possunt, nisi determinate sit expressum, donationem legatumve revocari, modo non servato: nam hujusmodi donationes et legata præsumuntur principaliter facta propter Deum, et pro remedio peccatorum (*d*).

55. *Quid si in donatione vel legato Ecclesiæ facto hoc fuerit expressum, et culpa solius Prælati modus non servetur?*

Ne possunt quidem revocari; Prælatus enim potest Ecclesiæ nocere tantum in jure acquirendo, (veluti esset in donatione vel legato sub conditione propria) non vero in jure acquisito (*30*).

SECTIO IV.

DE CONTRACTIBUS SUB DEMONSTRATIONE, ET SUB CAUSA CELEBRATIS.

56. *Quid est Demonstratio?*

Est appositio signi ad ostendendam rem, vel personam, de qua, vel cum qua contrahitur. Explicatur per relativum *qui*, *quæ*, *quod*.

57. *Quotuplex esse potest?*

Multiplex: et 1. alia est ostensiva, alia taxativa: prima est, quæ directe et primario designat rem: secunda est, quæ directe ac primario designat quantitatem; proindeque incipit a mensura, et desinit in rem. 2. Potest esse vera, vel falsa (*31*).

---

adimpletionem; promissarius tamen, vel legatarius debet satisdare de modo adimplendo, *l. 40. §. 5. D. de condit. et demonstr.* Inde patet jus et obligationem ex contractu sub modo exortam transire ad hæredes.

(*d*) *Cap.* Verum *4. de condit. apposita.*

(30) Hinc discrimen patet inter legata sub conditione, et legata sub modo.

(31) Utrum valeat contractus sub falsa demonstratione initus, idem dicito, quod est relatum num. 8. 9. et 10.

58. Estne restituendus excessus, vel supplendus defectus, si demonstratio est falsa in quantitate, vel pondere, vel numero?

Maxime, et præcipue quando demonstratio est taxativa; quia adest error circa substantiam (32).

59. Quid est Causa?

Causa est ratio expressa, propter quam contrahitur. Exprimitur per particulas *quia*, *propter*, *quoniam etc.*

60. Quotuplex esse potest?

Finalis seu motiva, et impulsiva: finalis est, quæ movet disponentem, et sine qua non disposuisset: impulsiva est illa, sine qua disponens etiam disposuisset, sed non tam de facili.

61. Valetne contractus sub causa initus, causa non subsistente?

Si causa est finalis seu motiva, contractus non valet; quia deficit consensus: si causa est impulsiva, valet contractus; habetur enim sufficiens consensus.

62. Debeturne alicui legatum relictum, si cum determinata persona matrimonium contrahat, quando cum ea non contrahit?

Minime regulariter loquendo; nam conditio est valida, nec est contra matrimonium (*e* 33).

63. An aliquando debetur hujusmodi legatum?

Affirmative; et 1. quando legatarius vellet cum persona illa contrahere, et ista, vel ejus parentes nolunt: 2. quando illud matrimonium ex aliqua circumstantia evadit illicitum, vel impossibile: 3. quando moritur persona designata; nam in istis casi-

(32) Ex cod. noviss. part. 1. art. 1463. et sequent. in venditione immobilium cum demonstratione extensionis, pretio statuto pro quaque mensura, venditor pretii diminutioni subjectus est pro ratione defectus: emptor vero potest contractum rescindere, aut debet excessum solvere, quando excessus est ultra vigesimam partem indicatæ extensionis. In omnibus aliis casibus, sive demonstratio sit taxativa, sive sit ostensiva, venditor tenetur ad defectum, et emptor ad excessum, quando defectus vel excessus est ultra vigesimam partem, nisi aliud sit in contractu statutum: emptor tamen in casu excessus potest contractum rescindere.

Juxta aliquorum sententiam excusatur venditor, qui utitur mensura diminuta, ut consequatur justum pretium, alias non consecuturus. At ego sentio istum peccare saltem leviter; quia agit contra pactum de reddenda justa mensura: attamen non teneri ad restitutionem; quia reipsa non sequitur damnum emtori.

(*e*) *L.* Titio centum *71. §. 1. D. de condition. et demonstration. etc. alibiq.*

(33) Item dicito de legato sub conditione, ne quis cum determinata persona, vel in tali loco etc. contrahat matrimonium, *l. 63. pr. D. eod.*

bus per legatarium non stat, quominus adimpleatur conditio (*f*).

64. An legatum mulieri relictum, ne nubat, debeatur, si nubat?

Si mulier est virgo, debetur; talis enim conditio a jure est rejecta in favorem matrimonii (*g*): si vero mulier est vidua, legatum non debetur; quia valet conditio (*h* *34*).

65. An aliquando etiam virgini non debeatur hujusmodi legatum?

Maxime quando nempe conditio est apposita in favorem status religiosi, vel aliarum piarum caussarum; nam dispositiones civiles piis causis nocere non debent (*35*).

66. Quid si talis mulier fornicetur?

Debetur legatum; quia fornicatio non est matrimonium.

67. Legatum mulieri relictum, ut honeste et caste vivat, debeturne, si ista matrimonium contrahat?

Debetur, nisi aliud constet de voluntate testatoris; quia matrimonium non est honestati et castitati oppositum.

68. Legatum relictum ad puellas in matrimonio collocandas debeturne illi, quæ vult religionem ingredi?

Si legatum relictum fuit determinatæ puellæ, debetur; (nisi aliud constet de voluntate testatoris) quia præsumitur testatorem noluisse statum meliorem impedire (*i* *36*). Si vero legatum generaliter fuerit relictum, quæstio est; sed rationabilius standum est consuetudini locorum.

CAPUT IV.

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADDITO.

69. *Quodnam juramentum apponi potest in contractibus?*

Juramentum promissorium.

(*f*) Patet etiam ex l. *Jure Civili* 24. et cit. l. *Cum ita.* §. 1. D. tit. cit.

(*g*) *L.* Titiæ *100. D. eod. tit. et alibi.* (*h*) *Authent.* Cui relictum *C. de indict. viduit.*

(*34*) Item dicendum de legato viro relicto sub eadem conditione.

(*35*) Legatum sub conditione *ne quis religionem ingrediatur* debetur absque conditionis adimpletione; talis enim conditio opponitur bonis moribus.

(*i*) Et habetur etiam ex novell. 123. de SS. Episcopis cap. 37.

(*36*) Legatum relictum virginibus nubendis dari nequit corruptæ, si publice constat de ejus corruptione: contra, si corruptio est occulta. At ista pro habilius nequit legatum petere: aliqui excipiunt, si desint aliæ vere virgines.

70. Quotuplex esse potest?

Duplex, firmans contractum, et per se stans, seu nudum et simplex: firmans contractum dicitur illud, quod firmat, seu reddit validum contractum nullum, vel majus dat robur contractui valido: si vero nullo modo contractum firmat, sed remanet in sua simplici natura, tunc dicitur per se stans. Quare primum obligat ex religione, et ex justitia; secundum tantum ex religione: primum transit ad heredes, quia obligationem secum fert realem; secundum ad heredes non transit, quia personalem tantum habet obligationem: primum relaxari nequit, nisi ex urgentissima causa, secundum potest relaxari justa de causa.

71. An contractus nullus juramento firmetur?

Vel contractus est nullus jure naturæ, et juramento non firmatur; nam juramentum non mutat contractus naturam, nec potest in eo defectum substantialem supplere. Vel contractus est nullus jure positivo ob bonum commune vel tertiæ personæ, et ne firmatur quidem juramento; tum quia res promissa compleri non potest sine peccato, cum sit in detrimentum communitatis, aut tertiæ personæ; tum quia pacto privatorum juri publico minime derogari potest (*k*). Si vero contractus de jure positivo est nullus ob bonum privatum ipsius jurantis, tunc juramento firmatur; quisque enim juri suo cedere potest (*l*): non desunt tamen aliqui contrarium docentes.

72. Estne servandum juramentum per se stans?

Maxime ex religione: at servandum non est, si adsit præjudicium tertii, vel peccatum etiam veniale (*m*); quia non est juramentum vinculum iniquitatis.

73. Quid si res promissa sit iniqua tantum ex parte promissarii, estne juramentum servandum?

Maxime; nam ex parte jurantis potest servari absque peccato (✱).

(*k*) *Ex cap.* Si diligenti *12. de foro compet.* [*art.* 7.]

(*l*) *Ex cap.* Cum contingat *28. de jurejur. et ex cap.* Quamvis *2. de pactis in 6.*

(*m*) *Ex cit. cap.* Cum contingat.

(✱) Hinc est servandum juramentum solvendi usuras, ex cap. *Debitores* 6. de jurejur. at hujusmodi obligatio non transit ad hæredes, cum sit tantum personalis. Usurarius tamen non potest usuras retinere; quoniam nullum habet jus retinendi.

74. *An aliquando non sit servandum juramentum per se stans, quamvis de re licita?*

Maxime, quando nempe lex ecclesiastica irritat non solum contractum, sed juramentum etiam in eo appositum (37).

CAPUT V.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

75. *Quid est Restitutio in integrum?*

Est extraordinarium juris remedium, quo læsus per judicis officium reducitur, seu restituitur in pristinum statum ac jus, in quo erat ante læsionem (*n*).

76. *Quinam gaudent hoc beneficio?*

Minores non emancipati in omnibus contractibus: minores emancipati in illis contractibus, qui ipsorum excedunt capacitatem (*o*): majores in casibus a lege expressis (*p*); e. g. in divisione hæreditatis, si læsio excedat quartam partem (*q*); in venditione immobilium, si venditor sit læsus ultra pretii dimidium, æstimatione facta juxta rei statum tempore venditionis, etiamsi huic beneficio expresse renuntiaverit (*r* 38): Ecclesia (*s*): interdicti, ac mulieres uxoratæ in omnibus, quæ excedunt earum capacitatem (*t* 39).

---

(37) Ejusmodi est omnis donatio et dispositio, etiam jurata, Novitii sine licentia Episcopi, vel extra duos ultimos menses ante professionem, vel professione non secuta; sicuti habetur ex Trid. sess. 25. de Regular. et Monial. cap. 16.

An possit revocari ante acceptationem promissio jurata, dicetur num. 232.

(*n*) *L.* Utilitas *1. et l.* Sive *2. D. de in integr. restit. cap.* Requisivit *1. et cap.* Auditis 3. *de in integr. restit. alibiq.*

(o) [*art. 1259.*] (*p*) [*art. 1267.*] (*q*) [*art. 807.*] (*r*) [*art. 1520. et sequent.*]

(38) Emptor minime gaudet hujusmodi beneficio ex [art. 1529.]

Sed in foro conscientiæ quæcumque læsio obligat ad restitutionem, tam pro emptore, quam pro venditore, etiam in rebus mobilibus, quidquid nonnulli dicant.

(*s*) *Cit. cap.* Requisivit, *et alibi.*

(*t*) [*art. 1258. et alibi.*]

Ista fere omnia habentur ex var. loc. jur. rom.

(39) Hujusmodi privilegium Ecclesiæ concessum extenditur ad collegia clericorum,

77. *Possuntne ad contrahendum capaces opponere incapacitatem minoris, interdicti, aut uxoratæ ad contractum rescindendum?*

Minime; et habetur ex cit. cod. art. 1079.

78. *An minores aliquando priventur hoc beneficio?*

Maxime; et 1. si læsio orta sit ex casu fortuito: 2. in obligationibus, quæ proveniunt ex eorum delicto, vel quasi-delicto: 3. in conventionibus initis in contractu matrimonii, si illorum accesserit consensus, quorum auctoritas ad matrimonium requiritur: 4. si facti majores contractum ratum habuerint, quamvis contractus fuerit nullus defectu formæ: 5. si uti publici mercatores vel artifices contraxerunt in rebus ad suam pertinentibus negotiationem vel artem (*u 40*).

79. *Quotuplici modo potest fieri restitutio in integrum?*

Duplici modo, aut contractum rescindendo, aut pretium, in quo contrahens fuit læsus, augendo (*x*).

80. *Si fiat per contractus rescissionem, debeturne alteri contrahenti, quod iste solvit minori, interdicto, uxoratæ?*

Maxime, dummodo probetur in eorum utilitatem fuisse conversum, quod est solutum (*y*).

81. *Quanti temporis spatium conceditur, ut possit peti restitutio in integrum?*

Conceditur decennium minori ab acquisita majore ætate, uxoratæ a matrimonii solutione, et interdicto a die ablatæ interdictionis (*z*): venditori conceditur biennium a die venditionis (*a*): et Ecclesiæ quadriennium a tempore factæ læsionis (*b I*).

---

monasteria religiosorum, hospitalia auctoritate Episcopi fundata, confraternitates, et congregationes, *ex l. 35. C. de Episcop. etc.* Eodem minorum privilegio gaudent respublicæ, *l. 4. C. quibus ex causis majores etc.*

(*u*) [*art. 1260. et sequent.*]

(*40*) At ex [art. 1268.] in alienatione immobilium, et in hæreditatis divisione minores vel interdicti habentur uti majores, vel non interdicti, quando adimpletæ sunt formæ quoad ipsos requisitæ.

(*x*) *Cap.* Cum dilecti 3. *et* Cum causa 6. *de empt. et vendit. l.* Rem majoris 2. *C. de rescind. vendit.*

(*y*) [*art. 1266.*] (*z*) [*art. 1258.*] (*a*) [*art. 1522.*]

(*b*) *Clement.* Ab ecclesia *un. de integr. restit. aliubiq.*

(*I*) Jure romano omnibus fere supra enunciatis concedebatur quadriennium, *ex var. ll.*

PARS II.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE EMPTIONE VENDITIONE.

SECTIO I.

DE NATURA EMPTIONIS VENDITIONIS.

82. *Quid est contractus Emptionis Venditionis ?*

Est contractus onerosus, quo quis se obligat ad rem aliquam dandam, et alter ad pretium solvendum (*c*).

83. *Differtne a permutatione ?*

Differt in hoc, quod in emptione venditione datur res pro pecunia, in permutatione datur res pro re (*d 41*).

84. *Quotuplici modo fieri potest emptio venditio ?*

Multiplici: et 1. potest fieri pura, et conditionata sub conditione suspensiva vel resolutiva, veluti est dictum de contractibus in genere n. 48. et 49. 2. Potest fieri absoluta, nempe de aliqua re determinata; et alternativa, scilicet de una re, vel de altera: e. g. vendo tibi hunc equum album, vel illum nigrum (*e*). 3. Potest fieri in specie, vel in genere: in specie dicitur, quando venditur aliqua res in individuo, vel tota massa; e. g. vendo hanc ovem, vendo hunc gregem: in genere dicitur, quando res non est in individuo determinata, sed in suo genere; v. g. vendo de-

(*c*) *Arg. ex l.* Origo 1. *pr. D. de contrahenda emptione etc.* [*art.1427.*]

(*d*) *L. cit.* [*art.1548.*]

(*41*) Jure nostro permutatio moderatur iisdem fere regulis, ac emptio venditio *art.1549.et 1553.*]

(*e*) [*art.1429*]

cem oves de meo grege. Venditio in specie fieri potest vel quoad corpus, vel quoad mensuram : prima est, quando aliquod totum venditur unico pretio; e. g. vendo totum tritici acervum centum aureis : altera est, quando aliquod totum venditur assignando pretium pro quaque mensura, numero etc. v. g. vendo totum acervum tritici decem carolenis pro qualibet mensura.

85. *Quomodo perficitur hujusmodi contractus?*

Mutuo consensu, determinatione mercis, et determinatione pretii (*f*).

86. *Potestne quis cogi ad vendendam rem suam, quamvis justo pretio?*

Minime; gravis enim injuria fit domino rei, qui jus habet eam sibi retinendi. Excipitur tamen, si hoc postulet publica necessitas; quia bono publico privatum debet cedere (*g* 42).

87. *Quid venit nomine mercis?*

Quidquid est pecunia æstimabile, aut pecunia potest compensari: uti sunt res mobiles, vel immobiles, actiones, jura etc. (*h*)

88. *Sufficitne, ut merx sit in spe determinata?*

Maxime; nam res in spe est pretio æstimabilis : hinc potest vendi jactus retis ad capiendos pisces etc. (*i*)

89. *Quid si spes frustretur, debeturne pretium?*

Si est de re, quæ solet evenire et non evenire, uti est captio piscium in retis jactu, debetur pretium (nisi adsit fraus vel dolus); cum sit contractus sortis (*k*) : si vero est de re, quæ semper solet evenire, veluti sunt fructus terræ, vide dicenda in num. 182.

90. *Quid est pretium?*

Est ipsum numisma, seu numerata pecunia (*l*).

91. *Estne valida venditio, si pretii determinatio remittatur emptori?*

Minime; emptor enim in causa propria potest hallucinari; et revera non adest determinatio pretii (*m*).

(*f*) Pr. Consensu *Instit. de obligation. ex consensu*, *et pr.* Emptio *Instit. de emt. et vend.* [art. 1428.]

(*g*) *L.* Invitum. 11. *C. de contr. emt. et vendit. alibiq.* [art. 470.]

(42) Idem dicendum de quocumque contractu.

(*h*) *L.* Si in emptione 34. §. 1. *D. de contr. emt. etc.*

(*i*) *L.* Nec emptio 8. *D. de contrahenda emt. etc. et alibi* (*k*) *L. cit.*

(*l*) §. Idem 2. *Inst. de emt. et vendit.* (*m*) *L.* Quod sæpe 35. §. 1. *D. de contr. emt. etc.*

92. *Quid si pretii determinatio remittatur tertiæ personæ?*

Valet venditio, dummodo tertia persona reapse pretium determinet (*n*).

93. *Quid si res fuerit vendita cum expressione* vendo tibi rem pretio justo?

Si adest de re pretium taxatum, valida est venditio; quia adest pretii determinatio: aliter non est valida e contraria ratione.

94. *Quænam res possunt vendi?*

Omnes quæ sunt in commercio, nisi aliud peculiaribus legibus sit statutum (*o* 43).

95. *Quænam res peculiariter prohibentur vendi?*

Immobilia, et mobilia pretiosa Ecclesiæ aliusve loci pii, inconsulto Rom. Pontifice, sub. excomm. pœna latæ sententiæ aliisque pœnis, dummodo præsumtuose etc. immo ne possunt quidem permutari, donari, pignori aut hypothecæ subjici, ultra triennium locari (*p* 44 ✻). Hæreditas personæ viventis, etiamsi ejus

---

(*n*) *L.* Super *ult. C. de contrahen. emt. et vendit.* [*art.* 1437.]

(*o*) *L.* Si in emptione 34 §. 1. *D. de contrah. empt. etc.* [*art.* 1443.]

(43) Illæ res sunt in commercio, quæ possunt adipisci, seu de uno in alium transire, transferri etc.

(*p*) *Extrav.* Ambitiosæ *un. de rebus Eccles. non alienan. et alibi.*

(44 ✻) De supradicta alienatione bonorum ecclesiasticorum aliqua notantur.

I. Hujusmodi habetur alienatio, semper ac tota relaxatur, vel pars rei jam ab Ecclesia, vel loco pio adquisitæ, aut (quidquid aliqui dicant) relaxationis periculo subjicitur. Dixi *adquisitæ*; quoniam videtur licitum ex causa repudiare rem nondum adquisitam. Quæstio est, an possit alienari sine pontificio assensu res Ecclesiæ data cum expressa facultate alienandi: quod certum videtur, si donator expresse voluerit, ut res alienaretur.

II. Nomine bonorum ecclesiasticorum veniunt etiam jura et actiones, servitutes, credita, annui reditus perpetui etc. Nomine vero mobilium pretiosorum veniunt vasa aurea, vel argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, greges et armenta totaliter considerata; magna pecuniæ quantitas donata ac destinata ad emenda immobilia etc.

III. Communiter docent DD. posse absque solemnitate et absque speciali causa alienari 1. res ad triennium non perduraturas: 2. res exigui valoris, puta 25. vel 30. scutorum, modo sint ab aliis disjunctæ: 3. res ad quas conservandas non sufficerent reditus inde percepti; pro rebus sterilibus juxta aliquos sufficit consensus Episcopi cum Capitulo: 4. si oportet vendere ad solvendum debitum, pro quo creditor urget apud judicem: 5. si donantur bona iis, qui illa retinere non possunt: 6. si fiat remuneratio pro aliquo beneficio Ecclesiæ collato: 7. in casu magnæ necessitatis, quæ non permittit expectare consensum; vel in casu notoriæ utilitatis, si expectando pontificium consensum transiret occasio: at in hisce duobus casibus requiritur saltem consensus Episcopi, aut Superioris Regularis.

IV. Solemnitates servandæ sunt ut habeatur consensus et subscriptio capituli vel

accedat consensus (*q*). Fructus in herba, et non adhuc collecti, quoties tradendos esse conveniltur pondere, aut numero, aut mensura cum determinatione pretii ante tempus facta, sine relatione ad pretium temporis messis (*r* 45).

96. *Valetne venditio rei alienæ?*

Omnino est nulla ex Cod. noviss. part. 1. art. 1444.

97. *Requiriturne traditio ad transferendum rei venditæ dominium?*

Minime; sed ad dominium transferendum sufficit conventio de re, et de pretio, etiam sine solutione pretii (*s K*).

98. *Cuinam debetur res duobus successive vendita?*

Si res est immobilis, debetur primo emptori, si iste contractum probet; quamvis secundus emptor, vel tertius contractum in publicis hypothecarum tabulis prius transcripserit (*t L*). Si vero res est mobilis debetur illi, cui prius tradita est realis possessio, dummodo possessio sit bonæ fidei (*u*).

---

cleri, habita communi consultatione; consensus Episcopi, vel Superioris Regularis; consensus Pontificis, seu Sacræ Congregationis.

V. Alienatio sine solemnitatibus est nulla, omissa contraria opinione: sine justa causa vero est nulla, si fiat in usus profanos; est illicita, si fiat in aliam Ecclesiam, vel in usus ejusdem Ecclesiæ.

VI. Causæ justæ sunt Necessitas, Utilitas, Pietas, Incommoditas, et quandoque magna Convenientia.

VII. Non potest res ultra triennium locari, si annuatim fructificat: at si fructificat alternis annis, potest ad sexennium usque locari; si ternis, ad novennium etc. Beneficiarius tamen non prohibetur fructus ad vitam suam locare.

Ceterum cum non sit præfata Extravag. *Ambitiosæ* ubique eodem modo recepta, quoad dicta potius attendenda est locorum consuetudo.

Attendatur quoad hæc novissima constitutio Bened. XIV. *Universalis Ecclesiæ.*

* In nostra diœcesi usque ad centum aureos ab Ordinario vel ejus Vicario concedi potest licentia. *

(*q*) *L.* Pactum 15. *et* De quæstione *fin. C. de pactis* [*art.1445.*] (*r*) [*art.1446.*]

(45) At potest ante tempus vendi in solidum sine pondere, et mensura tota messis pendens, aut ejus pars pretio determinato, ex [cit.art.]

(*s*) [*art.1428.*]

(*K*) De jure rom. requirebatur traditio ad dominium in venditione transferendum, *l. 9. D. de publiciana in rem actione, et alibi*: quare, illa dispositio in multis a præsente erat varia.

(*t*) [*art.2081.*]

(*L*) Jure romano, facta traditione, res debebatur illi, cui prius erat tradita, *l. 15. C. de rei vind. et aliubi.* At si secunda venditio erat in fraudem prioris emtoris, poterat iste illam revocare, *l. 1. D. quæ in fraudem etc.*

(*u*) [*art.1095.*]

99. *Potestne primus emptor rem mobilem vindicare a secundo emptore rei possessore?*

Potest, quando secundus emptor processerit mala fide.

100. *Quanti temporis spatium conceditur primo emptori, ut rem possit a secundo emptore evincere?*

Spatium triginta annorum pro re immobili; et triennium pro re mobili (x).

101. *Secundus emptor, qui mala fide possessionem accepit, teneturne in conscientia rem restituere priori emptori?*

Probabilius tenetur; primus enim emptor jam adquisivit jus in re.

102. *Si res vendita casu fortuito ante traditionem pereat, cuinam perit?*

Si vendita fuit sub conditione propria, vel in genere, vel in specie quoad mensuram, tunc perit venditori; nam hujusmodi venditiones non sunt perfectæ, nisi adimpleta conditione, determinatione, mensura etc. (y 46); aliter perit emptori; quia cum jam perfecta sit venditio, emptor est dominus rei (z 47).

103. *Quid si venditio sit alternativa?*

Si perit una res, sive culpa venditoris, sive casu fortuito, ipsi venditori perit: si ambæ pereant culpa venditoris, quamvis culpa sit quoad unam, iste tenetur solvere pretium rei, quæ ultimo periit: si vero ambæ pereant absque venditoris culpa, et mora culpabili, extinguitur obligatio rei tradendæ. At si fuit electio emptori data, et venditor fuit in culpa: tunc si ambæ res pereant culpa venditoris etiam quoad unam, emptor petere potest pretium unius, vel alterius rei: si vero una res pereat culpa ven-

---

(x) [*art.* 2168. *et* 2185.] (y) *Plur ll. rom.* [*art.* 1430. *et alibi.*]

(46) Item est 1. si adsit pactum, ut periculum sit penes venditorem: 2. si venditor sit in mora culpabili rem tradendi, modo res æque non periisset apud emtorem: 3. si ex dolo, delicto vel culpa levi venditoris res pereat: *plur. ll. rom.*

(z) §. Cum autem 3. *Inst. de emt. et vendit.* [*art.* 1428. 1431. *et alibi.*]

(47) At venditio de rebus, quæ prius degustari solent, perfecta non est, nisi accedat degustatio, *ex l. 4. pr. et §. 1. D. de peric. et comm. rei vend. et aliunde.* [*art.* 1432.] quare periculum apud venditorem permanet, usquedum habetur degustatio: dummodo vero emptor non sit in mora culpabili, *ex l. cit.*

ditoris, emptor eligere potest aut pretium rei perditæ, aut rem reliquam: si denique sine culpa venditoris una res perit, emptor alteram debet accipere (*a* 48).

104. *Ad quem spectant fructus rei venditæ?*

Ad emptorem, uti habetur in l. 1. C. de peric. et comm. rei vendit. aliubique, et ex Cod. noviss. part. 1. art. 1460. at si emptor non solverit pretium, tenetur de interesse, ex art. 1498.

SECTIO II.

DE PRETIO.

105. *Quotuplex esse potest Pretium?*

Duplex, legitimum seu legale, et naturale seu vulgare: primum est illud quod a publica auctoritate est texatum: secundum est, quod texatur a communi hominum æstimatione. Primum est indivisibile: secundum dividitur in supremum, medium, et infimum (49): supremum est illud, supra quod venditor juste vendere non potest: infimum est, infra quod emptor juste emere non potest: medium vero est, supra quod vel infra quod vendi vel emi juste potest.

106. *Adestne obligatio servandi pretium legale?*

Quæstio est: at probabilius standum est consuetudini locorum.

107. *Quo pretio potest vendi vel emi, quando pretium est vulgare?*

Vendi potest usque ad supremum, et emi usque ad infimum: aliter peccatur contra justitiam commutativam, et est restituendus excessus, vel supplendus defectus (*b*)

108. *Ex quotuplici capite augeri potest pretium vulgare?*

Ex quadruplici capite, nempe ex multitudine emptorum,

(*a*) [*art.1146.et sequent.*]

(48) Idem dicendum de omni obligatione alternativa, ex cit. art.

In omni obligatione alternativa electio pertinet ad debitorem, nisi expresse sit creditori concessa, *cap.* In alternativis *70. de regul. jur. in 6. l. 10. §. 6. D. de jure dotium* [*art.1143.*]

(49) Quod alio nomine vocant summum seu rigorosum, moderatum, et pium.

(*b*) *D. August. lib. 3. de Trinitat. c. 3. D. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. in corp. aliique communiter.*

ex abundantia pecuniæ, ex paucitate venditorum, aut ex caritate mercium.

109. An qui res minutim vendit, possit pretium augere?

Maxime intra limites justitiæ; quia facere debet majores expensas, labores etc. ad res conservandas, vendendas etc.

110. Num possit pretium augeri, si adsint alii tituli, ut puta lucrum cessans, damnum emergens, molestia venditori obventura etc?

Affirmative; omnes enim expositi tituli sunt pretio æstimabiles: modo de hoc moneatur emtor.

111. Potestne venditor rem majori pretio vendere ob sui affectum ad illam?

Utique, dummodo affectus sit rationabilis; nam privatio illius affectus est pretio æstimabilis: at monendus est emtor.

112. Potestne pretium augeri ob solutionis dilationem?

Minime, nisi alius adsit titulus; cum sit aperta usura (c 50).

113. Ex quotuplici capite potest pretium vulgare diminui?

Etiam ex quadruplici capite, scilicet ex multitudine venditorum, ex abundantia mercium, ex paucitate emptorum, aut ex caritate pecuniæ.

114. Potestne pretium diminui, quia quis ab eodem emit multa simul?

Maxime; tunc enim a multis curis liberatur venditor, et expeditus fit ad alia nova comparanda.

115. Necessitas venditoris estne justus titulus ad pretium diminuendum?

Discrepant Doctores: at probabilius dicendum, quod si necessitas sit communis, justus est titulus ad pretium diminuendum; tunc enim habetur inopia pecuniæ: si vero necessitas sit peculiaris, non est titulus justus; secus enim pauperes viliori pretio res suas cogerentur vendere.

116. Estne licitum minori pretio emere credita acerba, quæ nempe post aliquod tempus maturescunt?

Si credita sunt litigiosa, est licitum; adest enim periculum,

---

(c) *Cap.* Consuluit *10. de usuris.*

(50) Item non potest pretium minui ob solam anticipatam solutionem, *D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7.*

et molestia. Si sunt certa ac facilia, sine alio titulo non est licitum; quia esset mutuum implicitum cum usura (51).

117. An possit viliori pretio credita litigiosa emere, qui est causa litis?

Si lis est justa, potest, ex ratione superius allata; et tunc species habetur transactionis: si vero lis injusta est, non potest; tum quia respectu sui credita non sunt litigiosa; tum quia commodum reportaret ex proprio delicto.

118. Potestne quis viliori pretio emere rem sibi non utilem?

Utique; quia res ultronea vilescit.

119. Ergo potest quis vendere majori pretio rem emptori utilem, vel necessariam?

Nequaquam; nemo enim suam commoditatem, aut peculiarem necessitatem majoris emere cogitur.

120. Potestne quis currenti pretio vendere, aut emere, si sciat brevi tempore mercium pretium esse diminuendum, vel augendum?

Potest, omissa contraria opinione, dummodo nulla adhibeatur fraus; eo enim tempore tale est rei pretium (*d*).

121. Potestne minui vel augeri pretium rei, quæ sub hasta (vulgo all' incanto) *venditur?*

Maxime, modo absit fraus et dolus; tunc enim res incerto et fortuito pretio subjicitur.

122. Potestne quis rem minoris emere, quia non cognoscit venditor rei valorem?

Minime; adest enim in venditore error circa substantiam. At si res tanti valet in communi æstimatione, et emptor sua peculiari scientia majorem valorem cognoscit, tunc potest; quoniam emit pretio justo vulgari, et sua peculiaris scientia peculiari lucro est digna. (52)

---

(51) Permulti tamen docent semper licere. In praxi vero cum sint hujusmodi credita periculis ac incommodis communiter obnoxia, non videtur improbabile minoris emi posse, habita ratione periculi et incommodi.

(*d*) *S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4.*

(52) Qui rem vendendam recipit pretio designato, probabilius non potest sibi retinere plus quod ex ea retrahit. Excipitur 1. si sua industria sit res meliorata: 2. si sua peculiari industria et labore majus inveniatur pretium, tunc potest retinere quanti valet hujusmodi industria et labor: 3. si cum domino convenerit, saltem tacite, sibi

*

SECTIO III.

DE VENDITORIS OBLIGATIONIBUS.

123. *Quænam sunt obligationes venditoris?*

Duæ præcipuæ, rem nempe cum suis accessoriis emptori tradere, et illum defendere de eadem re (*e*).

124. *Teneturne venditor rem tradere, si pretium non sit ei solutum?*

Minime: et quamvis dederit dilationem ad solvendum, ne tenetur quidem rem tradere, (nisi emptor certam præstet cautionem) quando periculum imminet amittendi pretium (*f* 53).

125. *Ad quænam extenditur defensio, quam venditor emptori debet præstare?*

Ad duo præcipua: ad emptorem defendendum de evictione, et de rei venditæ vitiis occultis (*g*).

126. *Quid est evictio?*

Est rei emptæ ablatio per judicem jure facta (*h*).

127. *Debetne venditor emptorem defendere de evictione?*

Maxime, quamvis in contractu non sit expressum (*i* 54).

128. *An aliquando de evictione non teneatur venditor?*

Maxime; et 1. quando emptor in judicium non vocavit venditorem, et jam prolata est taliter sententia, ut appellationem non admittat, cum sufficientes adessent rationes ad litem defen-

---

retinere quod ultra designatum pretium habuerit: 4. si pretio designato rem sibi emat, et postea pluris vendat: 5. ratione justæ compensationis sui laboris etc. si nihil ob id a domino recipiat. Idem dicendum de eo, cui committitur rem aliquam tali pretio emere, et rem invenit pretio minori; iste præterea potest sibi retinere quod mercator ei donare intendit, quia amicus, vel ut frequentet suam officinam etc.

(*e*) [*art.* 1449.] (*f*) [*art.* 1458. *et* 1459.]

(53) De rei traditione satis est dictum in tract. anteced. num. 11. et seq. in præsenti num. 99. et sequent. Legatur tamen quod jacet num. 147. not. (*O*).

(*g*) *L.* Sive *1. et aliis D. de eviction. etc. et innum. ll. D. de ædilitio edicto etc, aliubiq.* [*art.* 1471].

(*h*) *Cavall. inst. jur. rom. lib. 3. tit. 24. de emt. et vendit. §. 17.*

(*i*) *L.* Non dubitetur *6. C. de eviction. et alibi* [*art.* 1472.]

(54) Hæc defensio de evictione præstanda est in omnibus contractibus onerosis, *l. 8. C. de sentent. et interlocut.* Non vero in gratuitis, nisi adsit dolus, *l. 18. §. 3. D. de donat.* vel pactum, *l. 2. C. de evict.* vel culpa ex parte tradentis.

dendam (*k*). 2. Quando pactum est de non præstanda evictione: attamen tenetur venditor emptori restituere pretium rei evictæ; excepto casu quo emptor periculum scivisset in actu venditionis, aut rem suo discrimini et periculo emisset (*l M*).

129. Ad quid tenetur venditor, si res evicta fuerit a manu emptoris?

Tenetur non solum pretium restituere, sed etiam emtorem de expensis et damnis reddere indemnem (*m*).

130. Quid est mercis vitium?

Est quicumque mercis defectus, qui tollit aut minuit consensum contrahentium.

131. Quotuplex esse potest?

Multiplex: quoad substantiam, vel qualitatem, vel quantitatem; occultum, vel manifestum; damnosum, vel non damnosum: omnia per se patent.

132. Teneturne venditor emptori manifestare vitium rei venditæ?

Vel vitium est manifestum, et non tenetur; quia potest hujusmodi vitium ab emptore cognosci (*n*). Vel vitium est occultum, et subdistinguitur: si est interrogatus, vel vitium est damnosum, tenetur, aliter adesset dolus: secus non tenetur; nulla enim emptori fit injuria: attamen diminuendum est pretium pro qualitate vitii (*o*).

133. Venditor debetne emptorem defendere de vitiis rei venditæ?

De vitiis manifestis non debet: de vitiis occultis, quæ rei afficiunt substantiam, debet emptorem defendere; dummodo aliter non sit pactum (*p*).

(*k*) *L.* Si rem *29. §. 2. D. de eviction. etc. et l.* Emptor. *8. C. de evict. aliisq. ll.* [*art. 1486.*]

(*l*) *L.* Ex empto *11. §. 18. D. de action. emti et venditi, et l.* Si fundum *27. C. de evict. et alibi* [*art. 1473. et 1475.*]

(*M*) Ita quoque jure rom. venditor bonæ fidei de evictione non tenebatur 1. quando emtor cum posset, sua culpa vel negligentia non præscripserat, *l. 56. §. 3. D. de eviction. etc.* 2. si emtor per arbitrum motam litem difiniri permiserat, *ibid §. 1.* 3. quando emtor culpa sua rei possessionem amiserat, unde ceciderat in causa etc. *l. 29. §. 1. D. de eod.*

(*m*) *L.* Qui absentem *75. D. de procurator. etc. alibiq.* [*art. 1476.*]

(*n*) *L.* Ea quæ *43. D. de contrah. emt. etc. D. Thom. 2. 2. q. 77. a. 3. in corp.*

(*o*) *Arg. ex plur. canon. et ll. rom. D. Thom. quodlib. 2. a. 10. in corp.*

(*p*) [*art. 1487. et sequent.*]

134. Quinam est effectus hujus defensionis?

Emptor habet actionem aut contractum rescindendi, aut repetendi partem pretii judicio prudentum; et etiam ad damna, quando venditor rei vitia noverat (*q* 55).

SECTIO IV.

DE MODIS, QUIBUS DISSOLVI POTEST CONTRACTUS EMPTIONIS ET VENDITIONIS.

135. Quotuplici modo potest dissolvi contractus emptionis et venditionis?

Multiplici modo; scilicet per mutuum dissensum, per pactum addictionis in diem, per pretium non solutum, per pactum retrovenditionis, per conditionem non impletam, et per pretii vilitatem (*r*).

136. Quando dicitur venditio facta cum pacto addictionis in diem?

Quando adest pactum in contractu, ut vendita non sit res, si intra aliquod determinatum tempus venditor meliorem invenerit conditionem (*s*).

137. Quotuplici modo fieri potest talis venditio?

Duplici modo, vel verbis directis, vel verbis indirectis: dicitur facta verbis directis, quando impleta conditione venditio ipso facto est nulla, æque ac si nunquam fuisset: dicitur facta verbis indirectis, quando venditio a principio est valida, sed postea rescindenda, adimpleta conditione (*t*).

138. Potestne venditio dissolvi, si pretium non solvatur?

Maxime, etiamsi non sit pactum in contractu; uti habetur ex cit. cod. noviss. part. 1. art. 1500. et sequent. (*N*)

(*q*) *L.* Julianus *13. pr. D. de action. emti et venditi, alibiq.* [*art. 1490. et 1491*].

(55) At nulla datur actio emtori pro venditionibus judicialibus; neque pro venditionibus mobilium in nundinis, vel foris, nisi adsit particularis conventio [*art. 1495.*]

(*r*) [*art. 1504. et alibi.*] (*s*) *L.* In diem *1. D. de in diem addictione.*

(*t*) *L.* Quotiens 2 *pr. D. eod. tit.*

(*N*) Lege romana ut potuisset venditio dissolvi ob pretium non solutum, requirebatur pactum, quod dicebatur *pactum legis commissoriæ.*

At pretio non soluto res non fiebat emtoris, ut infra dicetur num. 147. nota (O).

139. Quotuplici modo fieri potest venditio cum pacto retrovenditionis?

Triplici modo: aut in favorem venditoris, quando nempe emptori imponitur onus retrovendendi rem emptam: aut in favorem emptoris, quando venditori onus imponitur iterum emendi rem suam: aut denique in favorem utriusque, quando utrique relinquitur libertas contractum rescindendi (56).

140. Quanti valet res hoc pacto vendita?

Valet pluris, si pactum est in favorem emptoris; quia venditori imponitur onus: valet minoris, si est in favorem venditoris: et justo pretio, si est in favorem utriusque.

141. Estne licitus, et validus hujusmodi contractus?

Maxime, habitis conditionibus; uti patet ex Levit. 25. ubi Dominus præcepit, ut omnes terræ Israel tali pacto venderentur; et patet ex jure civili (u).

142. Quænam sunt hujusmodi requisitæ conditiones?

Sunt sequentes: 1. ut non fiat ad palliandam usuram: 2. ut pretium sit justum, habita ratione ad gravamen, quod imponitur: 3. ut emptor revera fiat dominus; ideoque sua sint commoda, fructus, atque periculum rei (57).

143. Quinam dicitur contractus Mohatra?

Dicitur ille, quo venditor alicui dat rem pretio supremo, pecunia credita, cum pacto emptori imposito retrovendendi eandem rem ipsi venditori pretio infimo, sed pecunia numerata.

144. Estne licitus talis contractus?

Minime; quia est verum mutuum cum usura sub pallio venditionis et emtionis: quare merito fuit ab Innoc. XI. damnatus prop. 40. (*)

---

(56) Cod. noviss. part. 1. art. 1505. loquitur de pacto tantum in favorem venditoris, et ex art. 1506. fieri nequit pro tempore ultra quinquennium.

(u) *L.* Si fundum 2. *C. de pact. inter emt. et vendit.* [*art. 1504. et sequent.*]

(57) In aliquibus locis initur contractus venditionis cum *pacto francandi:* et est, cum Cajus Mævio prædium suum vendit cum pacto illud redimendi: Cajus tamen prædium non tradit Mævio, sed sibi retinet, tamquam ejusdem conductor, solvitque propterea emptori mercedem conventam donec prædium redimat. Reputatur licitus talis contractus, modo reipsa animus habeatur vendendi et emendi, aliæque sint supra expositæ conditiones.

(*) Quæ ajebat: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.*

145. Secluso tali pacto, estne licitus supradictus contractus ?

Litigant doctores: aliqui negant; quia semper esset mutuum implicitum cum usura : aliqui affirmant, secluso scandalo ; quia licet emere pretio infimo, et vendere supremo ; et sicuti licet hoc facere cum diversis personis, ita et licet cum eadem.

146. Quando venditio potest rescindi ob vilitatem pretii ?

Quando venditor (emptor non gaudet hoc beneficio) in venditione rei immobilis fuit læsus ultra dimidium pretii, æstimatione facta juxta tempus contractus: tunc venditor intra biennium actionem habet (arbitrio tamen emtoris) aut rescindendi contractum; aut supplementum petendi justi pretii (*x 58*).

147. Dissoluto venditionis contractu ob aliquod de expositis capitibus, ad quem spectant fructus interea percepti ?

Si fuit solutus mutuo dissensu, fructus sunt venditoris, si res non fuit tradita, neque pretium solutum; aliter sunt emptoris. Si contractus fuit celebratus per pactum addictionis in diem verbis directis, fructus ad venditorem spectant; quia contractus fuit semper nullus: si vero verbis indirectis fuit factus, fructus sunt emptoris; nam cum fuerit contractus a principio validus, emptor interea est rei dominus. Rescisso contractu per pretium non solutum, fructus sunt emptoris ; quia ipse est dominus rei (*O*): excipitur tamen, si pretii solutio apposita sit uti conditio suspensiva; tunc enim contractus non fuit a principio validus, et venditor est rei dominus ; quare ipsius sunt fructus. Soluta venditione per retrovenditionem, fructus sunt emptoris; quia dominus erat rei. Si fuit solutus per conditionem non adimpletam, fructus sunt venditoris; non enim valet contractus; nisi verificata conditione: si vero contractus est solutus per conditionem resolutivam impletam, fructus spectant ad emptorem ; nam cum fue-

(*x*) *L.* Rem majoris *2. et* Si voluntate *8. C. de rescind. vendit. cap.* Cum dilecti *3. de emt. et vendit.* [*art. 1520. et sequent.*]

(*58*) Hæc venditoris actio locum non habet in omnibus venditionibus, quæ fieri nequeunt, nisi judiciali auctoritate, *l. 1. C. de prædiis decur. etc. alibiq.* [*art. 1530.*]

(*O*) Jure romano pretio non soluto, vel satisfactione alio modo non præstita, ne traditione quidem res fiebat emtoris, nisi venditor fidem emtoris secutus fuisset, *§ 41. Instit. de rerum divis. etc. l. 19. D. de contrah. emt. etc.* Quare fructus erant venditoris.

rit contractus a principio validus, quamvis postea rescindendus, emptor interea erat dominus rei: et si conditio suspensiva adimpletur, fructus etiam sunt emtoris; quia conditio adimpleta vim habet retroactivam, æque ac si a principio fuerit validus contractus (*y*). Si denique per vilitatem pretii est contractus solutus, fructus sunt emptoris; quoniam erat dominus rei.

CAPUT II.

DE MONOPOLIIS.

148. Quid est Monopolium?

Est quando unus, vel plures mercatores conspirant in aliquid vendendum, vel non vendendum, nisi suo arbitrio et placito.

149. Quotuplici modo potest fieri?

Quadruplici modo: et 1. cum aliqui conspirant de non emenda vel vendenda re, nisi tali pretio: 2. cum emunt omnes merces alicujus speciei, proindeque earum inopiam inducunt, ut ipsi soli vendant pretio, quo volunt: 3. si impediunt, ne alicujus speciei merces advehantur, ut ipsi vendant suas pretio majore: 4. denique privilegium a legitimo superiore obtinendo, ut quis solus (vel plures soli) vendat aliquod mercium genus.

150. Suntne monopolia licita?

Primum et secundum sunt illicita; adest enim reipublicæ detrimentum, et civium læditur libertas in emendo, vel vendendo; et si monopolæ conspirant de rebus vendendis pretio ultra supremum, peccant contra justitiam commutativam: utrum peccent contra justitiam, vendendo pretio supremo aut medio, lis est. Tertium monopolium est illicitum, et quidem contra justitiam, si malis artibus impediunt, ne merces advehantur; quia sunt causa injusta damni: si vero impediunt bonis artibus, quæstio est, utrum peccent contra justitiam, an contra caritatem (59). Ultimum mo-

---

(*y*) [*art. 1132.*]

(59) Sed si inferendo alias merces eveniret, ut cives suas vendere etiam justo pretio non possent, non esset injustum illas prohibere, uti docent plurimi.

Facto monopolio de pretio injusto, probabilius aliis non licet merces vendere eodem pretio: utrum liceat, si pretium est supremum vel medium, disputant doctores.

nopolium licitum est, modo legitima fuerit causa impetratum, et justum servetur pretium a Principe taxatum; hujusmodi enim privilegia expediunt reipublicæ, ad fovendas industrias, artes etc.

151. *Possuntne emtores monopolium contra venditorum monopolium conspirare?*

Maxime, omissa contraria sententia, ad servandam æqualitatem, et monopolium depellendum.

152. *Estne licitum monopolium inter artifices non perficiendi opus ab alio inchoatum?*

Minime; quia in reipublicæ atque civium est damnum.

CAPUT III.

DE NEGOTIATIONE.

153. *Quid est Negotiatio?*

Est emtio rei animo eam postea vendendi causa lucrandi.

154. *Quotuplex esse potest?*

Duplex, propria, vel impropria: prima est quando res emta immutata venditur: secunda est, quando res emta aliquo modo vel forma mutata venditur.

155. *Estne licita negotiatio?*

Affirmative; quisque enim potest infimo pretio emere, et supremo vendere; et labor ac industria sunt pretio æstimabiles.

156. *An sit permissa Clericis, et Religiosis?*

Impropria est illis permissa, cum nullo jure sit prohibita; modo tamen ipsi proprio labore rem mutent: propria autem est eis severe interdicta ex cap. *Secundum* 6. ne Clerici vel Monachi etc. aliisque juris locis.

157. *Quinam veniunt nomine Clericorum, et Religiosorum?*

Nomine Clericorum veniunt in sacris constituti, et etiam constituti in minoribus, si sint beneficiarii, quidquid aliqui dicant: nomine Religiosorum intelliguntur professi.

158. *In quas pœnas incidunt Clerici negotiationem exercentes?*

In excommun. et suspensionem ferendæ sententiæ; post ter-

tiam monitionem perseverantes in amissionem privilegii immunitatis clericalis (z).

159. An isti teneantur restituere lucrum perceptum?

Minime; peccarunt enim contra Ecclesiæ præceptum, non contra justitiam.

160. An aliquando liceat Clericis negotiationem propriam agere?

Maximè; et 1. quando, secluso scandalo, raro negotiationem agunt; dummodo non sit de re turpi, vel in magna quantitate: jura enim loquuntur contra exercentes. 2. Quando urget necessitas, ut puta ad sustentationem familiæ, pupilli etc. (a) lex enim ecclesiastica non obligat tali necessitate occurrente: obtenta tamen dispensatione S. Sedis (vel Ordinarii extra Italiam) (b).

161. Possuntne Clerici aliena prædia conducere, ut fructus vendant inde perceptos?

Negative; hoc enim fuit illis a Conc. Calced. specialiter prohibitum. At possunt sua prædia aliis locare.

162. Licetne eis emere vel conducere jumenta, ut ea aliis locent causa lucrandi?

Minime secundum aliquos; quia videtur esse quædam negotiatio (c). Sed licet eis sua jumenta aliis locare (*60* ✠).

(z) Ex cap. *Ex litteris* ult. de vita, et honest. Cleric. et aliunde: quas pœnas Tridentinum innovavit sess. 12. de reformat. cap. 1.

(a) *Ex cap.* Multa *1. ne Clerici vel Monachi etc.*

(b) *Bull.* Cum primum *Clem. XIII. 27. Septemb. 1759. et alibi.*

(c) *S. C. Conc. 7. Octob. 1662.*

(*60* ✠) Ex variis S. C. Concil. declarationibus liciti sunt clericis sequentes casus. 1. Agros beneficiorum, et bonorum patrimonialium laicorum opera colere. 2. Pro dictæ culturæ usu boves aliaque animalia emere, illorumque fœtus honesta ratione vendere: eosdem boves, dum sibi vacant, aliis pro certa mercede, vel frumenti quantitate locare; non licet vero eos emere causa locandi. 3. Sues emere, eosque alere in propriis terris, (non vero in alienis ad hoc conductis, nisi alicubi contraria vigeret consuetudo) et postea distrahere pro sua familiæque sustentatione, modo nihil sordidum Ordinive indecens exequantur. 4. Folia suorum arborum laicis concedere ad bombices alendos, ut inde dividatur lucrum: immo per se ipsos arti sericæ operam dare pro sua et familiæ sustentatione, Episcopi obtenta licentia. 5. Clericos pauperes ad suam familiæque sustentationem terras Ecclesiæ conducere: non vero terras laicorum, nisi ex mera et præcisa necessitate. 6. Retinere, et locare animalia, quæ habent ex successione vel decimis; eorumque fructus vendere. 7. Fructus ex propriis aut ecclesiasticis bonis perceptos vendere. 8. Oves proprias aliis pro certa caseorum quantitate

CAPUT IV.

DE SOCIETATE.

163. *Quid est Societas?*

Est contractus, quo duo vel plures aliquid contribuunt ad commune lucrum (et damnum) (*d*). Dupliciter fieri potest, aut cum ambo contribuunt sortem et industriam; aut unus sortem, et alter industriam.

164. *Quomodo perficitur hujusmodi contractus?*

Mutuo consensu: at si excedat summam quinquaginta aureorum, omnino requiritur scriptura (*e*).

165. *Estne licitus contractus societatis?*

Maxime habitis conditionibus; uti patet tum ex jure canonico, tum ex jure civili.

166. *Quænam conditiones requiruntur ad licitam societatem?*

Sequentes; 1. ut sit de re licita et honesta (*f*). 2. Ut revera socii conferant aliquid in commune. 3. Ut servetur æqualitas in damno et lucro, juxta proportionem rei et industriæ. 4. Ut

---

concedere: item est de ovibus emtis, modo non ad hunc effectum, sed ad proprium usum sint emtæ. 9. In molendinis et pistrinis, ad proprium usum habitis, alienum frumentum, olivas etc. molere pro certa mercede, ad vitæ necessaria comparanda; modo non fiat per ipsos clericos. 10. In necessitate tantum alienas olivas pro certa olei portione colligere. 11. In bonis amicorum, et propinquorum diurnas præstare operas, ut amici etc. illis easdem restituant; modo operæ non sint sordidæ et inhonestæ. Item probabilius licet alienorum agrorum emere fructus ad sua animalia saginanda, et postea vendenda. Licet etiam vendere carius res suas, ut emant vilius.

Adest hac in re Bulla Benedicti XIV. edita 25. februarii 1741. quæ incipit *Apostolicæ servitutis.* Hæc bulla 1. confirmat omnes constitutiones, et pœnas contra clericos illicite negotiantes; et dictas pœnas extendit etiam ad clericos, qui alieno laici nomine, aut per alios sub quocumque colore, aut prætextu illicitis negotiationibus vacant. 2. Bona acquisita per negotiationem alieno laici nomine exercitam, inevitabili spolii pœnæ subjecta declarat juxta constit. S. Pii V. *Decens esse.* 3. Negotiationes a laicis ad clericos quocumque titulo delatas statim esse dimittendas statuit: quod si clerici adsit detrimentum temporale, permittitur continuatio, sed ad tempus, per interpositam laici personam, et ex licentia S. Congregationis; extra Italiam sufficit licentia Ordinarii. Clericus aliter agens omnibus pœnis, etiam spolii est subjectus.

(*d*) *Ex ll.* Societates 5. Si societatem 6. *D. pro socio, et aliunde* [art. 1704.]
(*e*) [art. 1706.] (*f*) [art. 1705.]

res, quæ usu non consumuntur, maneant periculo ejus, qui illas contulit: res vero quæ servando fiunt deteriores, vel usu consumuntur, aut vendendæ collatæ sunt, aut sunt æstimatæ peracto inventario, periculo maneant totius societatis (*g*). 5. Ut periculum industriæ sit apponenti illam. 6. Denique ut serventur justa pacta in societate apposita (*h*).

167. Potestne in societate apponi pactum de casu fortuito, seu ad caput salvum?

Minime; quia non servaretur æqualitas, et esset contractus usurarius (*i*). Excipe, si adsit pactum, ut ipsa sors post societatem dividatur inter ponentem illam, et ponentem industriam.

168. An aliquando sors pereat socio apponenti industriam?

Maxime, quando nempe sors perit culpa sua (*k*).

169. Cujum est damnum, quod socio ob societatem sequitur?

Si sequitur damnum ex societate, tanquam ex causa proxima, est a societate resarciendum; modo absque socii culpa etiam levi damnum eveniat (*l*): si vero damnum remote ratione societatis provenit, non est resarciendum a societate; nam in casu societas est remota occasio, non vero causa damni (*m*).

170. Qui aliquam societatem iniit, potestne et aliam celebrare?

Utique; dummodo secunda societas priori detrimentum non afferat.

171. Teneturne ad restitutionem, qui agit contra pacta societatis, quare damnum sequitur, vel lucrum cessat?

Maxime; quia peccat contra justitiam, et damni est causa (*n*).

172. Quid si iste agendo contra societatis pacta aliquid majus lucretur.

Lucrum est suum, si suo nomine hoc facit; quia ejus est periculum: si vero hoc agit nomine societatis, lucrum est commune.

(*g*) [*art.1723.*]

(*h*) Expositæ conditiones fere omnes erant etiam de jure rom. sicuti constat ex plur. ll.

(*i*) *Constit.* Detestabilis *68. Sixti V.* [*art.1727.*]

(*k*) §. Socius *9. Inst. de societ. l.* Cum duobus *52. §. 2. et 3. ac l.* Socius *72. D. pro socio, et alibi.*

(*l*) *L.* Cum duobus *cit. §. 4. et alibi* [*art.1724.*] (*m*) *L.* Socium *60. §. 1. D. eod. et alibi.*

(*n*) *Cit. ll.* Cum duobus, *et* Socius, *alibiq.* [*art. 1722.*]

173. *Quinam dicitur contractus trinus, seu trium contractuum?*

Ille, in quo habetur contractus societatis, contractus assecurationis sortis, et contractus assecurationis lucri.

174. *Estne licitus hujusmodi contractus?*

Cum diversis personis est licitus; quisque enim potest hosce tres contractus licite inire. Utrum sit licitus cum eadem persona, litigium est: aliqui negant; quia ita destruitur societatis contractus, et habetur mutuum implicitum cum usura: alii vero affirmant (*o*); nam si licitus est cum diversis, ex eadem ratione licet cum eodem: dummodo res tradita revera negotiationi exponatur, non cogatur socius ad hunc contractum, et tantum remittatur illi, quantum aliis daretur pro assecuratione sortis et lucri (*61*).

175. *Quomodo finitur societas?*

Multiplici modo: 1. elapso tempore statuto: 2. extinctione rei: 3. peracto negotio, pro quo inita fuit societas: 4. morte alicujus socii, vel damnatione ad pœnam perpetuam, vel interdictione, aut ejus decoctu: 5. mutuo dissensu (*p*).

CAPUT V.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE.

176. Q*uinam est contractus Locationis et Conductionis?*

Est ille, quo quis se obligat alteri dare aliquam rem ad usum, vel fructum, aut suam operam præstare, ad tempus determinatum, statuto pretio vel mercede (*q*). Hinc dicitur *Locator*, qui dat rem utendam, fruendam, aut operam, et accipit mercedem: *Conductor* vero est, qui dat mercedem, et accipit rem etc. (*r* *)

(*o*) *Ex l.* Si non fuerint 29. §. 1. *D. pro socio*, *Rota* in Lucana 21. *Januarii* 1744.

(*61*) Potest etiam hic contractus fieri vel quoad assecurationem sortis tantum, vel solius lucri.

(*p*) *Innum. ll. rom.* [art. 1737. et sequent.] (*q*) [art. 1555. et 1556.]

(*r*) *Passim in D. et C. tit. de locato et conducto.*

(*) In cod. noviss. variæ assignantur locationis species, et unicuique speciei pe-

177. Quænam res possunt locari?

Omnes quæ possunt vendi, nisi aliqua adsit specialis juris prohibitio.

178. Quænam locationes et conductiones sunt prohibitæ?

Jure canonico prohibetur 1. locatio domus publico usurario alienigenæ (*s*): 2. prohibetur Clericis conductio cujuscumque prædii causa negotiandi (*t*): 3. locatio bonorum Ecclesiæ immobilium, et mobilium pretiosorum ultra triennium, sub clausula irritante (*u* 62): 4. juxta nonnullos locatio domus meretrici, saltem in ea urbis parte, ubi non est permissa.

179. Quænam sunt locatoris obligationes?

Sequentes: 1. conductori manifestare vitia rei locatæ; alias tenetur ad damna inde secuta, quamvis vitium ignoraverit tempore locationis: 2. facere expensas necessarias pro conveniente usu rei locatæ, et onera publica solvere: 3. conductorem servare in re locata usque ad tempus præfinitum (*x*).

180. An aliquando possit locator conductorem e re locata expellere ante tempus definitum?

Potest 1. si conductor pensionem non solvat: 2. si abutatur re locata: 3. si res locata refectione opus habeat (*y*).

181. Quænam sunt obligationes conductoris?

Duæ præcipuæ, uti debet re locata tanquam bonus pater familias, et statutam pensionem solvere (*z*).

182. Liberaturne conductor a mercede solvenda, si ob casum fortuitum fructus non percipiat ex re locata?

Liberatur juxta ratam, si medietas fructuum deficit; dum-

---

culiare datur nomen; nempe locatio domorum vocatur *appigionare*, mobilium *dare a nolo*, fundi rustici *colonia*, operæ et laboris *prestazione di opere*, locatio pecudis, cujus fructus est dividendus, *soccio*, locatio ad aliquod opus faciendum pretio determinato dicitur *appalto*, *cottimo*, o *prezzo fatto*. Omnes expositæ locationis species peculiaribus legibus moderantur: lege cod. noviss. tit. 8. lib. 3. part. 1.

(*s*) *Ex cap.* Usurarum *1. de usuris in 6.* (*t*) *Ex can.* Pervenit ad sanctam *1. caus. 21. q. 3.*

(*u*) *Extravag.* Ambitiosæ *un. de reb. Eccl. non alien.*

(62) Sed quoad hoc standum est potius consuetudini locorum. Relege in num. 95. notam (44*).

(*x*) *Ex variis ll. rom.* et [*art.*]

(*y*) *L.* Æde *3. C. de locato et conducto, cap.* Propter 3. §. Verum *eod.* [*art. 1570. 1575. et alibi.*]

(*z*) *Variis ll. rom.* [*art. 1574.*]

modo defectus non suppleatur abundantia alius anni (*a* 63).

183. *Potestne conductor rem alteri locare?*

Potest, nisi sit in contractu prohibitum (*b*). At in locatione, in qua conductor quotam fructuum domino debet solvere, non potest, nisi expresse sit ei contractu concessum (*c* 64).

CAPUT VI.

DE EMPHYTEUSI.

184. *Quid est Emphyteusis?*

Est contractus, quo alicui conceditur fundus, cum obligatione illum meliorem reddendi, et domino solvendi annuam præstationem, seu *canonem*, sive in pecunia, sive in fructibus rei,

---

(*a*) *Cap.* Propter sterilitatem 3. *de locato et conducto, et l.* Licet 8. *C. eod. et alibi* [*art.1615.et seq.*]

(63) Ex variis canon. et ll. rom. non liberatur conductor 1. si sit colonus partiarius, idest loco mercedis pecuniariæ dat quotam fructuum, puta tertiam, vel mediam partem: 2. si ita sit conventum. 3. quando consuetudo regionis sic obtinet: 4. quando consueta est, et ex intrinseca qualitate rei locatæ provenit sterilitas; modo id sciverit conductor: 5. si ex culpa conductoris sterilitas proveniat.

(*b*) *L.* Si tibi alienam 7. *D. locati et conducti, et l.* Nemo 6. *C. de locato et conducto* [*art.1563.*]

(*c*) [*art.1609.*]

(64) Contractus *collaticius* est ille, quo bos terram arans traditur bubulco, seu colono, qui bovis domino certam frumenti portionem solvit, hac adjecta lege, ut si bos naturaliter (seu casu fortuito) pereat, vel deterioretur, damnum sit domino et bubulco commune. Contractus iste approbatus est a Theologis, et de hoc petita S. C. Congregatio respondit: *Affirmative, dummodo pacta apposita in contractu sint justa, et correspectiva, ad formam SS. Canonum.* Die 6. Decembris 1730. Sequentes solent a Theologis adjici conditiones: 1. ut bos æstimetur quum datur, et quum restituitur; 2. ut etiam sit commune bovis incrementum: 3. quod est præcipuum, ut tantum de mercede solvenda remittatur bubulco, quanti valet periculum, quod assumitur. Adi Benedictum XIV. de Syn. lib. 10. cap. 8. num. 2.

Si istis conditionibus licet pactum, ut damnum sit domino et bubulco commune, videtur quoque licitum pactum, ut totum sit bubulci damnum eventum, modo aliqua frumenti portio ei relaxatur arbitrio prudentum, habita periculi ratione: habetur enim in casu species assecurationis ipsius bovis.

Eadem teneatur doctrina, si aliud locetur animal.

in recognitionem dominii directi concedentis (*d*). Qui fundum tradit dicitur *Dominus Emphyteuseos* : qui fundum recipit vocatur *Emphyteuta* (*e*).

185. Quotuplex esse potest?

Multiplex : 1. alia est ecclesiastica, quando nempe dominium directum ad Ecclesiam pertinet; et alia laica, seu communis, quando ad laicum pertinet dominium directum. 2. Aut est perpetua, aut temporaria, prout fit in perpetuum, aut ad tempus definitum (*f* 65).

186. Quænam conditiones ad emphyteusin requiruntur?

Tres præcipuæ, scriptura, melioratio, et pensio (*g* 66).

187. Quinam tenetur expensas facere in re emphyteutica?

Ad expensas pro melioratione rei, et fructuum perceptione tenetur emphyteuta; quia sua est melioratio, et fructuum perceptio: ad expensas pro restauratione rei tenetur dominus directus; ad ipsum enim pertinet substantia rei.

188. Teneturne emphyteuta pensionem solvere, re pereunte?

Si res tota pereat, non tenetur : si vero in parte res pereat, tenetur, dummodo pars reliqua sufficientem dederit reditum ad pensionem solvendam (*h* 67). At si perdita pars sit magni momenti, emphyteuta libertatem habet fundum domino restituendi (*i*).

189. Potestne emphyteuta dominium utile obligare, in alium transferre etc?

Maxime (*k*). Sed venditio hujusmodi dominii nulla erit, nisi dominus directus sit interpellatus ad consensum præstandum. In interpellatione manifestandum est pretium, et omnes conditio-

(*d*) *Var. ll. rom.* [*art.1678.*]

(*e*) *Ex ll.* Jus emphyteuticarium *1. et* Cum dubitabatur *3. C. de jure emphyteut.*

(*f*) *Plur. ll. rom.* [*art.1680.*]

(65) Sed temporaria fieri nequit tempore decennio minore [*art.1681.*]

(*g*) [*art.1679. et alibi.*]

(66) Licet in contractu emphyteuseos quæcumque pacta apponere: dummodo non sint a lege prohibita, *l.* Jus *cit. et l.* 2. *C. eod. et alibi* [*art.1682.*]

(*h*) *Cit. l.* Jus *et alibi* [*art.1688.*]

(67) Tenetur tamen emphyteuta pensionem solvere quacumque sterilitate, aut amissione fructuum occurrente, *l.* Jus *cit.* [*art.1687.*]

(*i*) [*art.cit.1688.*] (*k*) [*art.1690. et sequent.*]

nes, et pacta venditionis. Intra hoc tempus potest dominus directus declarare, se velle dominium utile emere, et habet jus prælationis. Si dominus directus intra bimestre voluntatem non declaraverit, consensus habetur uti præstitus (*l*).

190. *An debetur* laudemium (68) *domino directo in alienatione rei emphyteuticæ?*

Minime; nisi expresse sit pactum. Sed tale *laudemium* excedere non potest quinquagesimam partem pretii (*m P*).

191. *Quibus modis solvitur emphyteusis?*

Pluribus modis: et 1. elapso tempore, si sit temporaria; 2. re pereunte: 3. venditione rei sine interpellatione domini directi: 4. si emphyteuta per triennium pensionem non solvat (69): 5. si culpa emphyteutæ res notabiliter deterioretur: 6. denique si successor emphyteutæ intra duos menses ab instantia legali obligationem non stipuletur in favorem domini directi (*n*).

192. *Soluta emphyteusi debenturne emphyteutæ meliorationes in re emphyteutica factæ?*

Maxime, uti statutum est in cod. noviss. part. 1. art. 1703.

CAPUT VII.

DE CENSU.

193. *Quid est Census?*

Est jus percipiendi aliquam pensionem ex persona, vel ex re alterius utili et fructifera. Hinc contractus census est ille, quo tale jus venditur, aut emitur, aut constituitur, aut donatur etc. Qui habet jus percipiendi pensionem, dicitur *Censualista*, seu

---

(*l*) *L. cit.* Cum dubitabatur, *arg. ex cap.* Potuit *4. de locato et conducto* [*art. 1692. et sequent.*]

(68) *Laudemium* erat quinquagesima pars pretii danda domino directo, quia laudabat, approbabat, et in possessionem immittebat novum emphyteutam.

(*m*) [*art. 1697.*]

(*P*) Jure rom. debebatur laudemium, nonnullis casibus exceptis, *l. cit.* Cum dubitabatur, *alibiq.*

(69) In emphyteusi ecclesiastica sufficit biennium moræ: sed potest emphyteuta intra decem dies moram purgare, uti habetur ex cit. cap. *Potuit*, et aliunde.

(*n*) *Plur. ll. C. de jure emphyteut.* [*art. 1688. et sequent.*]

Censitor: et qui obligationem habet solvendi pensionem, vocatur *Censuarius*.

194. *Quotuplex esse potest census?*

Multiplex: et 1. potest esse pecuniarius, aut realis, aut fructuarius; prout pensio in pecunia, aut in alia re, aut de fructibus solvenda est. 2. Vel est reservativus, vel consignativus: primus est quando quis aliquam rem alteri tradit quoad dominium directum et utile, servata sibi annua pensione super eadem re: alter est, quando quis alteri tradit jus percipiendi annuam pensionem: et duplex esse potest, realis, vel personalis, prout fundatur super aliqua re, vel persona. 3. Dividitur in perpetuum, temporalem, et vitalitium, prout fit in perpetuum, vel ad tempus, vel ad vitam alicujus. Perpetuus dividitur in redimibilem, et irredimibilem, prout redimi potest, vel non.

195. *Estne licitus census?*

Reservativus est licitus; quisque enim licite potest rem suam alteri tradere cum tali onere: consignativus realis cum pensione fructuaria etiam est licitus; potest enim licite emi pars fructuum alicujus rei: consignativus realis cum pensione pecuniaria etiam licet habitis conditionibus.

196. *Quænam sunt hujusmodi requisitæ conditiones?*

Conditiones de jure naturæ sunt, ut fiat super re frugifera, et pretium sit justum. De jure vero canonico permultæ assignantur conditiones: sed in nostro regno tantum de hac re recepta est bulla Nicolai V. *Solicitudo pastoralis* an. 1452. in qua præscriptæ sunt sequentes conditiones: 1. ut fundetur in re immobili, certa, et fructifera, et generaliter super omnibus bonis censuarii: 2. ut apponatur pactum *de redimendo quandocumque* eodem pretio in favorem censuarii: 3. ut pensio non excedat decimam partem pretii soluti (70): 4. ut pecunia pro emendo hoc censu solvatur coram Notario, aut alio actu publicò, aut saltem compensetur cum liquido credito (71).

---

(70) In hoc autem potius standum est consuetudini locorum, et temporum circumstantiis.

(71) In cod. noviss. de hoc censu nulla fit mentio.

Ex communissima et probabilissima sententia non debetur pensio, re pereunte,

197. *Estne licitus census personalis?*

Videtur licitus de jure naturæ; quisque enim potest obligationem contrahere super suæ personæ industria et labore: sed videtur prohibitus ex cit. bulla Nicolai V. quæ exigit, ut census sit fundatus super re immobili.

198. *Estne licitus census vitalitius?*

Maxime, cum sit contractus sortis (72).

CAPUT VIII.

DE CAMBIO.

199. Quid est Cambium?

Est permutatio pecuniæ pro alia pecunia. Hinc contractus cambii est, in quo fit hujusmodi permutatio. *Campsor* dicitur ille, qui in gratiam alterius cambit: *Campsarius* vero est ille, in cujus gratiam fit cambium.

200. *Quotuplex esse potest cambium?*

Multiplex esse potest: et 1. aut est siccum, aut reale: siccum, seu fictum est, quando nempe fingitur cambium, sed revera datur dilatio solutionis ad lucrum recipiendum; quare est mutuum palliatum sub nomine cambii: reale est, quando revera adest legitima permutatio pecuniæ. 2. Dividitur in minutum, et locale: primum est permutatio pecuniæ unius formæ, vel metalli in pecuniam alterius formæ, vel metalli: secundum est permutatio pecuniæ unius loci in alterius loci pecuniam; quale cambium per literas (vulgo *cambiali*) solet fieri.

201. *Estne licitum cambium?*

Cambium siccum est illicitum, cum sit mutuum cum usura; quare fuit a S. Pio V. damnatum bulla *In eam*: excipe si ratione

---

super qua est census constitutus; quod etiam probabilius dicendum, quamvis omnia censuarii bona sint obligata. Si res vero in parte pereat, probabilius tota debetur pensio; modo pars reliqua sufficientes reddat fructus ad pensionem solvendam. Sic etiam probabilius debetur pensio, si res per certos annos non det fructus; modo compensetur pretio hujusmodi periculum, quod in se suscipit censuarius.

(72) Quomodo moderetur contractus vitalitius, lege in cap. 2. tit. 13. lib. 3. part. 1. cod. noviss.

lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi amittendi pecuniam fiat lucrum licitum. Cambium reale etiam cum lucro est licitum, sive minutum sit, sive locale; quia adsunt justi tituli lucrum percipiendi.

202. *Quinam sunt hujusmodi tituli?*

In cambio minuto sunt conductio officinæ, officium cambiendi, lucrum cessans, labor in conquirenda et custodienda pecunia diversæ speciei etc. In cambio locali præter dictos titulos adest etiam translatio pecuniæ, ejusdem assecuratio, pericula multa, quibus pecunia est subjecta, major æstimatio pecuniæ unius loci, quam alius etc.

203. *Licetne campsori exigere pignus in securitate pecuniæ?*

Maxime; unicuique enim est licitum in tuto ponere rem suam.

204. *Estne licitum Clericis aut Religiosis exercere officium cambiendi?*

Minime; nam in epistola Encycl. Clement. XIII. edita an. 1759. declaratum est cambium activum sua natura esse actum veræ ac propriæ negotiationis; proindeque Clericos illud exercentes obnoxios esse omnibus pœnis contra Clericos negotiatores latis (73).

CAPUT IX.

DE FIDEJUSSIONE, ET ASSECURATIONE.

205. *Quid est Fidejussio?*

Est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit (o).

206. *Quinam possunt fidejubere?*

Omnes qui possunt contrahere (p Q).

(73) In part. v. cod. noviss. lib. 1. tit. VII. toto cap. 1. fas est observare, quid in nostro regno sit sancitum quoad litteras cambiales.

(o) *Ex pr.* Pro eo *Instit. de fidejussor. et l.* Sicut 65. *D. eod. tit.*

(p) *Arg. l.* Qui satisdare 3. *D. eod.* [*art. 1890. et alibi.*]

(Q) Jure romano feminæ pro aliis non recte fidejubebant; cautum enim erat senatusconsulto Vellejano, ne feminæ pro aliis intercederent. Non gaudebant tamen mulieres hoc privilegio 1. si pretio conductæ fidejubebant: 2. quando fidejubebant pro dote, vel pro suo creditore; vel pro servi libertate: 3. si fidejubebant in fraudem cre-

207. *Teneturne fidejussor solvere debitum in conscientia ante judicis sententiam?*

Maxime, in defectu debitoris principalis; istius enim gerit vices. Sed habet beneficium ordinis, nempe ut prius excutiatur debitor principalis (q).

208. *Potestne fidejussor aliquid exigere pro fidejussione?*

Utique; quia fidejussio est pretio æstimabilis.

209. *Fidejussio transitne ad hæredes?*

Maxime; est enim obligatio realis (r).

210. *Teneturne debitor principalis ad damna fidejussori causata?*

Affirmative, si sua culpa non solvit; quia ipse non solvendo est damnorum causa (s): si vero sine sua culpa non solvit, ad solum debitum teneri videtur.

211. *Quomodo extinguitur fidejussio?*

Iisdem modis quibus extinguuntur aliæ obligationes (t 74).

212. *Quid est Assecuratio?*

Est contractus, quo quis suscipit in se periculum rei alienæ, se obligando ad illius compensationem, si res perierit. Qui suscipit periculum dicitur *Assecurator*: dominus rei dicitur *Assecuratus*.

213. *Estne licitus hujusmodi contractus?*

Habitis conditionibus est licitus; quia est contractus sortis, et periculum, quod suscipitur, pretio est æstimabile.

214. *Quænam sunt requisitæ conditiones?*

Multæ numerantur; sed præcipuæ sunt 1. ut res reapse existat: 2. ut sit periculo exposita: 3. ut pretium sit justum habita ratione periculi.

215. *Quantum accipi potest pro assecuratione?*

Hoc certa regula definiri nequit; sed pretium est taxandum judicio prudentum, attentis circumstantiis rei, loci, temporis etc. (75)

---

ditorum: 4. denique si post biennium fidejussionem confirmabant, præstando cautionem, aut pignus, aut intercessorem: *ex variis ll.*

(q) *Loc. plur. jur. rom.* [*art. 1893.*]

(r) §. Fidejussor 2. *Inst. eod. l.* Fidejussoris 24. *C. eod.* [*art. 1889.*]

(s) [*art. 1900.*] (t) [*art. 1906.*]

(74) Quænam sit fidejussionis extensio et effectus inter fidejussorem et creditorem, inter fidejussorem et debitorem principalem, habetur ex tit. 15. lib. 3. part. 1. cod. noviss.

(75) Dispositiones nostri juris pro assecuratione maritima leguntur in tit. 9. lib. 2. part. 5. cod. noviss.

CAPUT X.

DE LUDO, ET SPONSIONE.

216. *Quid est Ludus?*

Est contractus, quo ludentes aliquid æqualiter deponunt vel determinant cum pacto, ut sit victori, quod depositum vel determinatum est.

217. *Quot sunt ludorum species?*

Tres: vel ludus est solius industriæ, vel solius sortis, vel mixtus, nempe industriæ et sortis simul.

218. *Estne licitus ludus?*

Ex natura sua, habitis conditionibus, est licitus ad animi vel corporis levamen (u).

219. *Quænam conditiones requiruntur, ut ludus sit validus, et licitus?*

Conditiones pro validitate sunt 1. ut fiat sine vi, dolo, vel fraude: 2. ut ludens possit disponere de re, quam ludo exponit (76): 3. ut æqualis sit colludentium conditio. Pro liceitate vero conditiones sunt 1. ut non ludatur præcipue ob lucrum: 2. ne nimium temporis consumatur in ludo: 3. denique ut ludus non sit causa peccati, vel scandali, vel alicujus detrimenti.

220. *Qui ludo invalido vel illicito aliquid lucratur, potestne illud retinere?*

Si ludus est invalidus, non potest ludens lucrum retinere; nullum enim jus habet: si ludus est illicitus, potest retinere; quia peccatum non est contra justitiam (*).

221. *An liceat in ludo fraudes et astutias adhibere?*

Licet tantum illas adhibere, quæ ex more solent adhiberi: aliter peccatur contra justitiam.

(u) *Ex D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 2. in corp.*

(76) Probabilius non potest retinere lucrum, qui alienam ludo exponit pecuniam.

(*) Ex cod. noviss. part, 1. art. 1837. et sequent. nulla datur victori actio ad petendum quod ludo vel sponsione lucratus est, nisi ad corporis dexteritatem comparandam sit ludus institutus. Sed si victus quod perdidit sponte solverit, negatur condictio indebiti, nisi dolus fuerit in victore.

222. *Estne ludus Clericis aut Religiosis permissus ?*

Ludi meræ sortis sunt illis prohibiti ex variis can. a Trid. confirm. sess. 22. de reform. cap. 1. Sed excusantur Clerici a peccato mortali, si ludant raro, absque scandalo, et in parva quantitate, sicuti notat Lessius, et alii (77).

223. *Quid est Sponsio ?*

Est contractus, quo duo vel plures de aliqua veritate vel eventu contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit illius, qui veritatem fuerit assecutus.

224. *Estne licitus et validus hujusmodi contractus ?*

Habitis conditionibus est licitus et validus; quia est contractus sortis, et nullo jure prohibitus (x).

225. *Quænam sunt conditiones ad validam et licitam sponsionem requisitæ ?*

Sunt sequentes: 1. æqualitas rei sponsæ. 2. incertitudo ex utraque parte: 3. ut verba eodem sensu intelligantur a spondentibus: 4. denique ut sit de re licita.

226. *An sit licita sponsio super vita, vel morte, vel futura electione Summi Pontificis, aut super promotione Cardinalium ?*

Minime, sed sub excomm. Papæ reservata graviter prohibita, et irrita declarata ex bulla *Cogit nos* Gregorii XIV.

CAPUT XI.

DE PROMISSIONE.

227. *Quid est Promissio ?*

Est deliberata fidei datio, seu obligatio de re aliqua licita,

(77) Clerici aleis (idest ludis meræ sortis) publice, frequenter (bis vel ter in hebdomada), in magna quantitate, et cum scandalo ludentes peccant graviter. Idem probabilius dicendum, etsi absit scandalum. Idem communius tenent Doctores, si ludus sit frequens in parva quantitate; excipe, si sit ad breve tempus, recreationis causa, etsi crebro. Permulti Theologi rationabiliter a mortali excusant, si ludus in magna quantitate non sit frequens; nisi fiat publice, et cum scandalo. Hæc omnia rigorosius sunt de Religiosis tenenda.

(x) *Ex l. Si quis 57. D. de verbor. obligation. et aliunde.*

et possibili. Qui dat fidem dicitur *Promissor*; et qui fidem recipit *Promissarius* vocatur.

228. *Differtne a proposito?*

Maxime; nam in proposito non adest animus se obligandi, sicuti est in promissione.

229. *Quotuplex esse potest?*

Duplex, gratuita, et onerosa: prima est, quæ nullum onus promissario imponit: altera est, quæ promissario onus imponit.

230. *Quænam conditiones requiruntur, ut promissio valeat, et obliget?*

Sequentes: 1. ut adsit perfecta deliberatio: 2. ut adsit animus se obligandi: 3. ut sit de re possibili et licita: 4. denique ut sit externata, et acceptata.

231. *An aliquando obliget promissio ante acceptationem?*

Maxime, et 1. quando promissio est facta infantibus, vel aliis rationis incapacibus; quia a lege ipsa videtur acceptari talis promissio (78). 2. Si promissio pro causis piis facta sit principaliter in honorem Dei: at alii hoc negant.

232. *Num possit promissio ante acceptationem revocari?*

Affirmative, quamvis sit jurata, ex veriori sententia; quia non contrahitur obligatio sine consensu alterius partis, et juramentum, cum sit accessorium, sequitur naturam actus (y). Et hoc est verum, etiamsi promittens juravit se non revocaturum promissionem; quia præsumitur nolle revocare post acceptationem.

233. *Num mortuo promittente ante acceptationem possint ejus hæredes promissionem revocare?*

Aliqui negant; quia facultas revocandi, cum sit personalis, non transit ad hæredes: aliqui vero affirmant, imo tenent non posse promissarium promissionem acceptare; quia per mortem extinctus est consensus promittentis.

234. *Quando ponenda est acceptatio?*

Statim post factæ promissionis notitiam (79).

---

(78) At de jure nostro requiritur consensus patris, vel tutoris etc.

(y) *Ex cap. Quemadmodum 25. de jurejur.*

(79) Possumus tamen idem asserere, quod est de donationis acceptatione lege sancitum. Vide dicenda num. 311. (104).

235. *Possuntne, mortuo promissario, ejus hæredes promissionem acceptare?*

Minime; acceptatio enim est facultas personalis, et expirat cum persona.

236. *Peccat graviter an leviter, qui promissionem acceptatam non adimplet?*

Si promissio est impropria, nempe promittens intendit se obligare tantum ex veracitate, peccat leviter, quamvis materia sit gravis; quia veracitas non obligat, nisi ex levi: at mortaliter peccat, si promissionem non servando grave promissario intulerit damnum. Si vero promittens intendit se obligare ex justitia, peccat graviter (nisi excuset parvitas materiei), justitia enim graviter obligat (*80*).

237. *Qui ficte promittit, teneturne promissionem adimplere?*

Si promittit sine animo promittendi, non tenetur (licet peccet ob fictionem); quia non adest vera promissio (*81*). Idem probabilius dicendum, si promittit absque animo se obligandi; quoniam deficit essentia promissionis. Si vero promittit sine intentione exequendi, tenetur promissionem adimplere; nam executio est quid accessorium.

238. *Quibus modis desinit promissionis obligatio?*

Desinit 1. condonatione promissarii: 2. mutatione rei; veluti si fiat impossibilis, vel illicita: 3. ingratitudine promissarii (*82*): 4. compensatione, et aliis modis, quibus desinunt aliæ obligationes.

(*80*) Ex hac promissione promissarius acquirit jus ad rem promissam, quod transit ad hæredes; et promittens tenetur ad damna promissario causata ex promissione non servata.

(*81*) Sed semper tenetur ad damna eventa promissario ex ficta promissione.

(*82*) Quoad ingratitudinem idem statui potest, quod infra dicetur de ingratitudine donatarii num. 315. et sequent.

CAPUT XII.

DE DEPOSITO.

239. *Quid est Depositum?*

Est contractus, sive actus, quo res aliqua mobilis alteri custodienda traditur, cum obligatione postea eam restituendi (z). Qui rem tradit custodiendam dicitur *Deponens*: qui rem recipit vocatur *Depositarius*.

240. *Quotuplex esse potest?*

Duplex, voluntarium, et necessarium; primum fit mutuo consensu deponentis, et depositarii; secundum est illud, quod fieri debuit ob aliquem necessitatis casum, veluti ratione incendii, ruinæ, naufragii etc. (a 83)

241. *Est gratuitus, an onerosus depositi contractus?*

Sua natura est gratuitus (b): potest tamen fieri etiam mercede (c).

242. *Quomodo perficitur hujusmodi contractus?*

Traditione reali, vel ficta (d).

243. *De quanam culpa tenetur depositarius?*

De culpa lata, et dolo; quia depositum est contractus in favorem dantis (e). Sed tenetur etiam de culpa levi, 1. si ipse se obtulit ad depositum recipiendum: 2. quando merces pro custodia conventa est: 3. quando depositum est in sui favorem; 4. quando ad levem culpam se obligavit (f); immo tenetur etiam ex culpâ levissima, si ad istam se obligavit.

244. *Teneturne de casu fortuito?*

Minime, nisi pacto, culpa, vel mora præcedentibus (g).

(z) *L.* Depositum *1. pr. D. depositi vel contra, aliubiq.* [*art.1787.*]

(a) [*art.1792.1793.et 1821.*]

(83) Depositum voluntarium idem est ac depositum simplex in lege romana; sicuti necessarium idem est ac miserabile.

(b) [*art.1789.*] (c) *ex* [*art.1800.2.°*] (d) [*art.1791.*]

(e) *L.* Quod Nerva 32. *D. eod. alibiq. ex* [*art.1799.*]

(f) *L.* Depositum *cit.* §. *6. aliisq. plur.* [*art.1800.*]

(g) *Cap.* Bona fides 2. *de deposito, var. II. rom.* [*art.1801.et alibi.*]

245. *An possit depositarius uti re deposita?*

Nequaquam sine licentia deponentis expressa, vel præsumpta (*h* 84): aliter injuriam faceret deponenti.

246. *Depositarius sine licentia expressa vel præsumta utens re deposita teneturne ad pretium usus?*

Maxime; nam lædit jus deponentis, et usus est pretio æstimabilis.

247. *Quid si utendo re deposita aliquid lucretur, potestne lucrum retinere?*

Utique, dummodo nomine proprio rem pro lucrando exponit. Excipitur tamen si lucrum sit fructus naturalis rei.

248. *Quinam tenetur ad expensas in re deposita factas?*

Deponens; quia in sui favorem est depositum (*i*).

249. *Quando est restituendum depositum?*

Statim ac dominus petit, quamvis in contractu aliquod tempus sit statutum pro restitutione rei (*k*).

250. *Quid si depositum sit factum personæ ad contrahendum incapaci, puta minori, interdicto etc?*

Deponens tunc habet actionem rem vindicandi, si res existat: aliter potest tantum repetere, quod in utilitatem depositarii conversum est (*l*).

251. *Si deponens non sit rei dominus, estnè ei res restituenda?*

Affirmative ad servandam fidem depositi: at si res furto sit ablata, depositarius monere debet dominum, ut iste intra determinatum et congruum tempus pro re sua reclamet. (85)

(*h*) §. Furtum autem 6. *Instit. de obligation. quæ ex delicto nasc. et l.* Si sacculum 29. *pr. D. depositi etc.* [*art.1802.*]

(84) Habetur licentia præsumta, quando depositum consistit in pecunia numerata, aut in re usu consumptibili, uti ajunt Theologi. Sic etiam præsumitur hujusmodi licentia, si nullum ex usu domino eveniat damnum.

(*i*) [*art.1819.*] (*k*) *L. cit.* Depositum §. 22. *et aliubi* [*art.1816.*] (*l*) [*art.1798.*]

(85) Caupones, diversoriarii tamquam depositarii necessarii tenentur pro rebus in sua diversoria a viatoribus introductis: et etiam pro damnis et furtis istarum rerum, dummodo furtum, aut damnum factum non fuerit armata manu, aut vi insuperabili, *plur. ll. rom.* [*art.1824.et sequent.*]

CAPUT XIII.

DE COMMODATO.

252. *Quid est Commodatum?*

Est contractus, quo quis alteri rem suam usu non consumtibilem ad usum gratis tradit, cum onere eandem post usum restituendi. *Commodans* seu *Commodator* est qui rem ad usum dat: *Commodatarius* vero qui rem recipit (*m*).

253. *Differtne a precario?*

Differt in hoc, quod precarium dabatur precibus petentis, sine determinatione temporis, sed ad nutum tradentis: quare recipiens tenebatur tantum de culpa lata et dolo (*n*).

254. *Quænam possunt commodari?*

Omnia quæ sunt in commercio, et usu non consumuntur (*o 86*): licet atterantur.

255. *De quanam culpa tenetur commodatarius?*

De omni culpa; quia commodatum est in sui gratiam (*p*). Sed tenetur de culpa tantum lata, si commodatum sit in gratiam commodantis (*q*): et de lata et levi, si sit commodatum in gratiam utriusque (*r*).

256. *Teneturne de casu fortuito?*

Minime; nam commodans est dominus rei, et res, quæ casu perit, domino perit. At commodatarius de casu fortuito tenetur, 1. quando in contractu se obligavit ad casum fortuitum: 2. si excedit fines usus sibi concessi: 3. si fuit in mora culpabili: 4. si res commodata fuerit æstimata; nisi contrarium fuerit conventum: 5. denique quando commodatarius poterat rem commodatam servare, exponendo seu substituendo rem suam (*s*).

(*m*) *Ex* §. Item is 2. *Instit. quibus modis re contrah. obligat.* [*art. 1747. et sequent.*]

(*n*) *Cap.* Precarium 3. *de precario*, *l.* Precarium 1. *D. eod. et alibi.* (*o*) [*art. 1750.*]

(*86*) Res usû consumptibiles possunt etiam commodari, sed tantum ad pompam, et ostentationem, *ex l. 3. §. 6 D. commodati vel contra.*

(*p*) *Cap.* Cum gratia *un. de commodato*, *l.* In rebus *18. pr. D. commodati vel contra*, *aliisq. plur. ll.*

(*q*) *L.* Si ut certo *5. §. 10. D. eod.* (*r*) *L. cit.* In rebus *pr. et alibi.*

(*s*) [*art. 1753. et sequent.*] Eadem omnia erant jure rom. sancita, et cit. cap. *Cum gratis.*

257. *Potestne commodatarius rem sibi commodatam alteri commodare?*

Potest ad eundem usum, nisi aliter fuerit conventum; potest enim jus suum sine damno commodantis alteri cedere.

258. *Quando est restituenda res commodata?*

Tempore præfixo: et si non est tempus præfixum, est restituenda post usum, ad quem fuit concessa (*t*).

259. *An possit commodator rem repetere ante tempus, vel usum?*

Regulariter non potest; aliter injuriam inferret commodatario. Excipitur tamen, si urgens necessitas non prævisa evenerit commodanti (*u*); nam in pari necessitate melior est conditio domini, qui non censetur se obligare voluisse in tali eventu.

260. *Potestne commodatarius repetere expensas factas in re commodata?*

Expensas ordinarias pro usu rei factas non potest repetere; nam si suum fuit commodum, ipse sentiat incommodum: expensas extraordinarias necessarias et urgentes (ita ut non posset commodantem monere) factas pro rei conservatione potest repetere (*x*); quia sunt in bonum domini.

CAPUT XIV.

DE MUTUO, ET USURA.

261. **Q***uid est Mutuum?*

Est contractus, quo quis alteri tradit quoad dominium aliquam quantitatem rerum usu consumtibilium, cum onere tantumdem restituendi in eadem specie, qualitate, et quantitate (*y*). Qui dat mutuum dicitur *Mutuator*: qui mutuum recipit vocatur *Mutuatarius*.

262. *Quotuplex esse potest?*

Duplex, expressum, et tacitum: primum est ex definitione:

(*t*) [*art.1760.*] (*u*) [*art.1761.*] (*x*) *L.* In rebus *cit.* §. 2. [*art.1758.et 1762.*]

(*y*) *Ex pr.* Re contrahitur *Instit. quibus modis re contrah. obligat. l.* Mutuum 2. *pr.* §. 1. *et* 2. *D. de reb. creditis etc.* [*art.1764.et 1765.*]

secundum est, quod continetur in alio contractu; uti esset venditio rei cum dilatione pretii.

263. Quænam res possunt in mutuum dari?

Quæ sunt in commercio, et usu consumuntur (*87*).

264. Adestne obligatio mutuandi?

Maxime, ex charitate, quando adest necessitas in mutuatario, et potentia in mutuatore: nam si tenemur in hoc casu ad eleemosynam, a fortiori tenemur ad mutuum.

265. Quænam sunt obligationes mutuatoris?

Sunt 1. ut det gratis mutuum: 2. ut moneat mutuatarium de vitiis rei; aliter tenetur ad damna: 3. ut non repetat mutuum ante tempus præfixum: 4. ut acceptet anticipatam solutionem mutui, si ante tempus præfixum restituatur; dummodo non sit in ejus damnum hujusmodi anticipatio (*z*).

266. Ad quid tenetur mutuatarius?

Ad mutuum restituendum tempore ex contractu, vel ex circumstantiis præfixo; et in eadem specie, qualitate, et quantitate, qua ipse accepit (*a 88 R*).

(*87*) Pecunia potest esse objectum mutui; nam si non consumitur in se, utenti tamen quodammodo perit.

(z) [*art. 1140. 1770. 1771. et alibi.*] (a) [*art. 1774. et sequent.*]

(*88*) Ut possit mutuator mutuum repetere incapacibus factum, debet ostendere in eorum utilitatem fuisse mutuum conversum, *ex* [*variis art.*]

Incapaces ad mutuum recipiendum sunt 1. filiusfamilias minor: 2. filiusfamilias major sine consensu patris: 3. minor, qui est sub tutore: 4. minor emancipatus, sine deliberatione consilii-familias a tribunali civili confirmata: 5. interdictus: 6. uxorata in aliquibus casibus sine viri consensu: 7. prodigus sine adsistentia consulentis etc. uti diximus in prima parte hujus tract. cap. 2. sect. 2.

Item nemo tutor sine auctoritate consilii-familias, et confirmatione a tribunali civili obtenta potest pro minore mutuum pecuniarium accipere [*art. 380. et 381.*]

(*R*) Jure romano mutuum repeti non poterat in sequentibus casibus.

I. Quando mutuata erat pecunia filiofamilias sine patris consensu, *l. 1. pr. D. de senatusc. Macedoniano*, sive pecunia mutua filiofamilias sub usuris data erat, sive sine usuris, *l. 7. §. 9. D. eod.* sive pecunia consumta fuerat, sive adhuc in peculio extabat, *l. 9. §. 2. D. eod.* Extendebatur hæc dispositio etiam ad filiasfamilias, *l. cit.* At quando pecunia extabat, disputant Theologi, utrum filiusfamilias vel ejus pater ad restituendum tenebatur in conscientia. Non poterat filiusfamilias huic privilegio, ne juramento quidem, renuntiare; quia erat in favorem patris. Si vero filius juramento promittebat se solvere mutuum, tunc tenebatur, absque tamen præjudicio patris, ad juramentum servandum, uti ajunt Theologi. Attamen cessabat Macedonianum privilegium 1.° si filius castrense vel quasi-castrense peculium habebat; tunc obligabatur, sed

267. *Quomodo est mutuum restituendum, juxta quantitatem acceptam, an juxta valorem?*

Juxta valorem, si est de pecunia; in pecunia enim valor, et non quantitas attenditur: si vero mutuum est de alia re, juxta quantitatem est restituendum, ex contraria ratione (*b*).

268. *An aliquando liceat pactum restituendi pecuniam juxta quantitatem?*

Maxime, et 1. quando æque adest dubium, utrum sit augendus vel diminuendus valor pecuniæ; tunc enim habetur contractus sortis: 2. quando valor pecuniæ quamvis sit certo augendus, creditor tamen eam esset conservaturus usque ad tempus incrementi; æquum enim non est, ut tale lucrum mutuanti cesset (*89*).

269. *Quid est Usura?*

Est lucrum proveniens immediate ex mutuo ratione mutui (*c*).

270. *Quotuplex esse potest?*

Quadruplex, mentalis scilicet, virtualis, realis, et palliata:

---

quatenus erat in peculio, *l. 1. §. 3. et l. 2. D. eod.* 2.° Si filius tempore mutui accepti erat militiæ addictus, *l. 7. §. 1. C. ad Sctum Maced.* 3.° Si filiusfamilias pro patrefamilias communiter habebatur, *l. 3. pr. D. eod.* 4.° Si filius paterfamilias factus debitum quocumque modo agnoscebat, veluti illius partem solvendo, *l. 7. §. ult. D. eod.* 5.° Si ex patris voluntate filiofamilias pecunia credita fuerat, aut in rem patris conversa, *cit. l. 7. §. 11. et seq.* 6.° Si data erat pecunia filio alibi agenti studiorum legationisve causa, modo erat intra summam, quam pater subministrare solebat, *cit. l. 7. §. 13.* 7.° Si dans pecuniam mutuam ignorabat eum, cui dabat, esse filiumfamilias, *l. 19. D. eod.* 8.° Denique si mutuum non erat in pecunia constitutum, sed in alia re, *cit. l. 3. §. 3. et l. 7. §. 3. D. eod.* nisi fiebat in fraudem senatusconsulti, *cit. l. 7.*

II. Quando datum erat pupillo, vel minori, sine consensu tutoris, vel curatoris, si isti acceptum in mutuo amiserant, vel consumpserant, *ex l. 3. C. quando ex facto etc.* Tenebantur tamen ad restitutionem, si ex mutuo facti essent locupletiores, *reg. jur. 48. in 6.* At juxta Theologos minor, et pupillus pubertati proximus remanebant naturaliter obligati.

III. Quando mutuum fuerat datum Ecclesiæ, *authent.* Hoc jus porrectum *C. de sacros. Eccl.* vel civitati, oppido, universitati etc. *l. 27. D. de reb. credit. si cert. pet.* In hisce casibus non poterat mutuator mutuum ab Ecclesia, civitate etc. repetere, nisi probabat in utilitatem Ecclesiæ, civitatis etc. fuisse mutuum conversum: sed actionem habebat contra Ecclesiæ civitatisve administratores seu procuratores, quibus mutuum dederat, *cit. auth. et l.*

(*b*) [*art. 1767. 1768. et 1769.*]

(*89*) Idem inversa ratione dicendum de restituenda alia re juxta valorem, et non quantitatem.

(*c*) *Argum. ex can.* Si fœneraveris 1. Putant 2. Plerique 3. et Usura 4. *caus. 14. q. 3.*

mentalis est, quæ mente tantum et intentione habetur: virtualis, quæ demonstratur verbis vel signis, quamvis nullo pacto expresso: si adest pactum; dicitur realis: palliata denique est, quando tegitur et palliatur sub velamine alterius contractus liciti.

271. *Quo jure est prohibita usura?*

Est prohibita jure naturæ; quia cum sit in mutuo dominium in mutuatarium translatum, injustum est lucrum exigere ex re aliena: jure divino, ut patet ex innumeris Scripturæ locis, et præcipue ex Luc. 6. 35. ubi Christus loquitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes*: jure canonico, sicuti habetur ex toto titulo de usuris (90*).

272. *Estne licitum intendere aut sperare lucrum ex mutuo?*

Si speratur ex amicitia, liberalitate etc. est licitum; non enim est malum aliquid sic sperare: si vero speratur tamquam debitum ex justitia, illicitum est, veluti patet ex cit. cap. Luc. (d 91).

273. *An iste, qui ea intentione mutuans aliquid recipit, teneatur ad restitutionem?*

Minime, si mutuatarius ex sola liberalitate dederit: maxime, si mutuatarius dederit uti debitum justitiæ: patet ex rationibus superius allatis (e).

274. *Licetne aliquid ex mutuo exigere non ex justitia, sed tanquam debitum gratitudinis?*

Nequaquam; quia adest pactum implicitum usurarium: contrarium fuit ab Innoc. XI. proscriptum (**).

---

(90) Art. 1777. et 1779. 2. part. cod. noviss. sensu catholico sunt intelligendi, quando vere ex mutuo *interesse* adest mutuatoris, nempe lucrum cessans, aut damnum emergens. Laudati articuli moderati sunt lege Francisci I. die 7. Aprilis 1828. lata, qua ordinatur mensura de *interesse* conventionali quoque anno taxanda: qui hanc mensuram excedunt, usuræ incurrunt labem. Et ex art. 10. cit. legis *interesse* legale ad conventionalis erit normam cum diminutione quinti.

(*) Neque dicas in Deuter. 23. haberi *Non fæneraberis fratri tuo ad usuram .. sed alieno*; quidam enim ajunt Deum hoc permisisse ad majora damna vitanda, vel in compensatione damnorum ab alienigenis populo Dei illatorum: alii vero in textu originali legunt *nec alieno*.

(d) *Cap.* Consuluit *10. de usuris, D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. in corp.*

(91) Sic etiam ex veriori ratione illicitum est aliquid ex amicitia vel liberalitate sperare, cum talis spes est principale motivum mutuandi.

(e) *Cit. cap.* Consuluit.

(**) In prop. 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.*

275. *Estne licitum mutuare cum pacto remutuandi, propriam officinam frequentandi etc?*

Minime, si hoc exigatur tanquam debitum; quoniam imponitur onus, ad quod mutuatarius non tenetur (92).

276. *Num sit usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius solvat suum debitum?*

Si debitum est certum ac liquidum, non est usura; quia nullum novum onus mutuatario imponitur: si vero debitum est litigiosum, usura est; imponitur enim onus, ad quod non tenetur mutuatarius.

277. *An sit usura mutuare cum pacto remittendi injuriam inimico?*

Si loquimur quoad forum internum, non est usura; ad hoc enim mutuatarius tenetur: si loquimur quoad forum externum, nempe, ut mutuatarius non exigat damnum sibi illatum, aut satisfactionem sibi debitam ratione acceptæ injuriæ, est usura; quia ad hoc non tenetur mutuatarius.

278. *An liceat aliquid exigere ob obligationem sibi impositam non repetendi mutuum ante tempus præfixum?*

Negative; nam dilatio temporis est mutuo intrinseca; et in contrarium adest prop. 42. ab Alexandro VII. damnata (*93).

279. *An possit quis aliquid ultra sortem exigere, eo quia pecunia præsens pretiosior est futura?*

Minime; quia pecunia est sterilis in se, et patet ex prop. 41. damnata ab Innoc. XI. (**)

---

(92) In hisce et similibus casibus pro regula generali est statuendum usuram esse semper ac novum onus pretio æstimabile, tanquam debitum ex justitia, mutuatario imponitur; et contra: *D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2.*

At potest mutuator aliquod petere amicitiæ officium eodem mutui tempore; quia potes ab alio petere simile, quod ille a te petit; modo illud non sit ipsi magis onerosum. Quare licitum est mutuatarium obligare eodem tempore mutui ad aliquid remutuandum, ad domum locandam, ad frumentum vendendum etc. Secus vero, si mutuatarius obligaretur in futurum, *D. Thom. loc. cit. ad 4.*

(*) *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

(93) Secundum aliquos licet aliquid ultra sortem exigere pro obligatione expectandi per tempus extraordinarium, puta per triennium etc. quia talis obligatio est mutuo extrinseca.

(**) *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non ma-*

280. *An liceat aliquid exigere ultra sortem, quia mutuatarius magnum ex pecunia mutuata est percepturus lucrum?*

Nequaquam; pecunia enim in se est sterilis, et lucrum est potius industriæ, quam pecuniæ fructus: patet etiam ex epist. Encyclica Bened. XIV. *Vix pervenit* edita anno 1745.

281. *Potestne mutuator usuras retinere?*

Minime, quidquid aliqui dicant, sed illas tenetur restituere: nullum enim dominium acquisivit in eis; quia contractus usurarius omnino est nullus.

282. *Licetne aliquando aliquid ultra sortem exigere absque labe usuræ?*

Maxime, quando nempe habetur lucrum cessans, aut damnum emergens, aut periculum amittendi sortem (94); nemo enim tenetur pro mutuo jacturam facere, et periculum est pretio æstimabile.

283. *Quænam conditiones desiderantur, ut quis aliquid possit ultra sortem exigere ratione lucri cessantis?*

Plures: 1. ut lucrum revera vel probabiliter cesset: 2. ut cesset ratione mutui: 3. ut tantum accipiatur, quanta est spes lucri: 4. ut hoc non accipiatur tempore mutui, sed tempore lucri faciendi: 5. ut (juxta veriorem sententiam) moneatur mutuatarius de lucro cessante.

284. *Qui bona fide iniit contractum usurarium, cum possit alium licitum contractum inire, et sic lucrari, potestne re cognita acceptum lucrum retinere?*

Alii affirmant, præcipue si mutuator virtualem seu implicitam habebat voluntatem lucrandi modo licito; quia revera ei cessat lucrum ratione mutui. Alii vero negant; tum quia in casu voluntas habetur tantum interpretativa lucrandi modo licito, quæ non sufficit ad contrahendum; tum quia non est mutuatarius de justo titulo monitus, nempe de lucro cessante.

---

joris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

(94) Non desunt qui omnino negant licere aliquid ratione lucri cessantis aut periculi exigere: sed non recte, et contra communem sententiam loquuntur.

285. *An ille, qui potest aliam pecuniam otiosam negotiationi substituere, possit aliquid ultra sortem exigere ratione lucri cessantis, dando in mutuum pecuniam negotiationi expositam?*

Si pecunia omnino est otiosa, et ad nullum alium usum destinata, non potest; nam propria voluntate, non ratione mutui cessat lucrum (95): aliter potest ob contrariam rationem.

286. *Estne licitum cum dilatione solutionis frumentum aut aliam rem vendere non pretio currenti, sed eo pretio, quo valebit certo determinato tempore; vel frumentum etc. mutuare, cum pacto ut restituatur tempore determinato, et non alio?*

Si æquale adest dubium, ut frumentum vel alia res illo determinato tempore possit pretio augere, vel diminuere, licitum est; habetur enim contractus sortis. Si vero certo frumentum augeat pretio, tunc si dominus erat illud conservaturus usque ad tempus incrementi, etiam licitum est; (deductis expensis pro frumenti conservatione faciendis) ratione lucri cessantis (*f*): aliter non licet; nullus enim habetur titulus lucrandi.

287. *Quænam sunt conditiones ad aliquid exigendum ratione damni emergentis?*

Sunt sequentes: 1. ut damnum revera vel probabiliter eveniat: 2. ut eveniat ratione mutui: 3. ut tantum exigatur, quantum est damnum: 4. ut de hoc moneatur mutuatarius (96).

288. *Quænam conditiones requiruntur ad aliquid ultra sortem recipiendum ratione periculi?*

Plures etiam: et 1. ut periculum sit extrinsecum, nempe proximum et probabile, non vero omnino remotum, et mere possibile: 2. ut tantum accipiatur, quantum alteri daretur pro assecuratione sortis: 3. ut non cogatur mutuatarius ad hoc ineundum

---

(95) Non desunt qui contra sentiunt; præsertim si mutuator vere habeat animum illam reservatam pecuniam negotiationi non exponere.

(*f*) *Cap.* Naviganti *19. de usuris.*

(96) Si damnum est certo eventurum, vel lucrum cessandum, licet mutuatori ab initio pacisci de certa pecunia solvenda, prout est damnum, vel lucrum. Sic licet taxari arbitrio prudentum, et in pactum deduci quantitas solvenda, si lucrum certo est cessandum, aut damnum eventurum; sed solum dubitatur de ejus majori vel minori quantitate. Item licet ex veriori sententia, si damnum vel lucrum non est certo, sed tantum probabiliter futurum: at tunc quantitas est taxanda juxta timorem aut spem consilio prudentum.

assecurationis pactum, scilicet ut possit mutuatarius alio modo sortem assecurare mutuanti, nihil ei solvendo.

289. Estne licitum aliquid ultra sortem exigere, quia mutuatur indigenti?

Minime; quia tale periculum est intrinsecum. Excipitur tamen, si mutuatarius sit tam pauper, ut periculum extrinsecum habeatur.

290. Potestne apponi pœna in mutuo, ut si mutuatarius mutuum intra aliquod tempus non restituat, aliquid ultra sortem solvat?

Potest apponi habitis conditionibus; debitor enim peccat contra justitiam, et pœna est dignus, non solvens tempore statuto (*).

291. Quænam sunt requisitæ conditiones?

Sunt sequentes: 1. ut pœna non sit apposita ad palliandam usuram: 2. ut sit justa, et moderata: 3. ut mora sit culpabilis ex parte mutuatarii.

292. Potestne mutuator exigere pignus in securitate mutui?

Potest; unusquisque enim habet jus rem suam tutandi (97).

293. Estne licitum, et validum pactum, ut si debitor non solvat, pignus cedat creditori?

Est omnino nullum, proindeque illicitum; nam ordinario res pluris valet, quam est debitum. Tantum potest creditor hoc obtinere via judiciaria, sed usque ad quantitatem debiti (*g*).

294. Potestne creditor uti fructibus rei pignoratæ, usquedum solvatur?

Minime; quia fructus spectant ad dominum, et eos percipere usura est (*h* 98).

(*) Hujusmodi pœna triplex esse potest, legalis, judicialis, et conventionalis; prima taxatur a lege, secunda per judicis sententiam, tertia a contrahentium consensu.

(97) Pignus est contractus, quo debitor dat creditori aliquam rem mobilem ob securitatem debiti: quod si res est immobilis, vocatur anticrisis [*art.1941.et sequent.*] Pro anticrisi requiritur scriptura [*art. 1955.*] Debitor est dominus rei in pignore vel anticrisi datæ, *l. 9. C. de pignerat. act.* [*art.1949.et 1955.*] Obligat de culpa levi hujusmodi contractus; cum sit in gratiam utriusque, §. *4. Instit. quibus modis re contrah. obligat.* [*art.1950.*]

(*g*) *L.* Quoniam *fin. C. de pactis pignor. et lege commiss. etc. cap.* Significante 7. *de pignor. etc.* [*art.1948.et 1958.*]

(*h*) *Ex cap.* Plures 1. *et* Quoniam 2. *de usur. et alibi*, *ac var. ll. rom.*

(98) Sic etiam non potest creditor uti re pignorata sine consensu domini: alias

295. *An aliquando possit creditor uti fructibus pignoris?*

Utique, et 1. quando creditor certo pretio pignus emit cum pacto retrovendendi; quia eo medio tempore ipse est dominus rei: 2. quando pignus fuit datum ratione dotis promissæ ad hoc, ut interea ejus fructibus onera sustineantur matrimonii (*i*): 3. quando habetur justus titulus aliquid exigendi ultra sortem.

296. *In quas pœnas incidunt usurarii?*

Usurarii occulti in nullam incidunt pœnam. Publici vero incidunt 1. in infamiam. 2. Non sunt absolvendi, donec satisfecerint, vel satisdederint. 3. Arcendi sunt a communione altaris. 4. Non sunt admittendi ad oblationes faciendas Ecclesiæ ejusve Ministris 5. Si sint notorii, et eo peccato decesserint, privantur ecclesiastica sepultura. 6. Si sint laici usurarii manifesti, excommunicari debent, donec satisfecerint, et ipso facto irregulares evadunt: si autem sint Clerici, et moniti non desistant, suspendi debent ab officio, et beneficio. 7. Denique usurarii publici non possunt conficere testamentum, nisi usuras ante mortem solverint, vel cautionem dederint pignoratitiam aut fidejussoriam (*k**).

297. *An incidant in aliquam pœnam sepelientes usurarium notorium?*

Præsumptuose sepelientes usurarium notoriom incidunt in excommunicationem (*l* 99).

298. *Inciditne in pœnam, qui excipit usurarii oblationes?*

Clericus usurarii publici excipiens oblationes incidit in sus-

---

tenetur ad pretium usus. At si ex rei usu nullum domino sequitur damnum, potest consensus præsumi.

(*i*) *Cap.* Salubriter *16. de usuris*

(*k*) Eruuntur præfatæ pœnæ ex can. *Infames* 2. §. 20. caus. 3. q. 7. ex cap. *Quanquam* 2. de usuris in 6. et ex cap. *Quia in omnibus* 3. et *Præterea* 7. de usuris, ex can. *Maritum* 2. dist. 33. et aliunde.

(*) Ex lege civili nostri regni 7. Aprilis 1828. usuras habitualiter exercentes tertio captivitatis plectuntur gradu, et multantur inter tertium et totum sortium ad usuram mutuatorum.

(*l*) *Ex clement.* Eos qui *1. de sepulturis.*

(99) Casus cit. Clementinæ quoad sepulturas sunt plures: 1. sepelientes ausu temerario in loco sacro tempore interdicti in casibus non permissis: 2. scienter sepelientes excommunicatos vitandos: 3. item sepelientes interdictos vitandos: 4. et usurarios publicos; isti omnes incidunt in excomm. a qua absolvi nequeunt; nisi prius ad arbitrium Episcopi satisfecerint iis, quibus fuerit injuria irrogata.

pensionem ab officio, donec satisfacit ad arbitrium Episcopi (*m*).

299. *In quam pœnam incidunt, qui habitare permittunt usurarios publicos alienigenos in suis territoriis?*

Si sunt Ecclesiastici, incidunt in excomm. nemini reservatam: si sunt Episcopi, in suspensionem: si est Communitas, seu Universitas, in interdictum, quandiu in ejus terra usurarii commorantur, modo per mensem animo obstinato illos sustinuerit (*n*).

300. *An peccet, et ad restitutionem teneatur, qui instrumentum condit usurarium?*

Si condit illud ad instantiam mutuatoris, peccat contra justitiam, et contra religionem ob violationem juramenti præstiti non condendi talia instrumenta: et tenetur ad usurarum restitutionem in defectu mutuatoris. Si condit ad instantiam mutuatarii, qui justam habet causam petendi tale mutuum, juxta aliquos non peccat, sicuti non peccat mutuatarius: juxta alios peccat tantum contra religionem ob juramenti violationem. Si denique ad instantiam condit mutuatarii justam causam non habentis, tunc peccat contra charitatem ratione cooperationis, et contra religionem ratione juramenti violati.

301. *Judex, qui compellit mutuatarium ad usurarum solutionem, aut impedit earum restitutionem, vel repetitionem, inciditne in aliquam pœnam?*

Incidit in excomm. latæ sententiæ; sicuti etiam omnes communitatis, seu universitatis officiales usuris faventes (*o*).

CAPUT XV.

DE DONATIONE.

302. QUid est Donatio?

Donatio generaliter accepta est *liberalitas nullo jure cogente facta* (*p*). Qui donat dicitur *Donator*; qui recipit vocatur *Donatarius*.

(*m*) *Ex cap.* Quia in omnibus 3. *de usuris.*
(*n*) *Cap.* Usurarum voraginem 1. *de usur. in 6.*
(*o*) *Clement.* Ex gravi *un. de usur.* (*p*) *L.* Donari 29 *D. de donat.*

303. *Quotuplex esse potest?*

Multiplex: et 1. aut mere gratuita, aut remuneratoria: prima est, quæ fit nullius beneficii accepti intuitu: altera est, quæ fit intuitu alicujus beneficii accepti. 2. Alia est inter vivos, alia per testamentum: prima est actus (*), quo donans actualiter et irrevocabiliter se spoliat re donata in favorem donatarii illam acceptantis (*q*): secunda est, quæ fit per testamentum.

304. *Quænam differentia intercedit inter donationem inter vivos, et donationem per testamentum?*

Differentia hæc est, quod prima est sua natura irrevocabilis, secunda est revocabilis, ut infra dicetur.

305. *Quinam possunt donare?*

Omnes qui non sunt a lege incapaces declarati (*r 100*).

306. *Quantum quis potest donare?*

Omnia sua, præter legitimam (*s 101 S*).

(*) Dicitur actus, quia a lege consideratur non uti contractus, sed uti modus dominium acquirendi. Est modus civilis dominium acquirendi, quia legibus civilibus moderatur: at in se est modus naturalis. Sed quia utriusque consensus requiritur, tanquam beneficus contractus haberi potest, *ex l. 7. C. de his, quæ vi metusve causa, et aliunde.*

(*q*) [*art.813.et sequent.*] (*r*) [*art.818.*]

(*100*) Quinam isti sint jam diximus in part. 1. præsentis tract. cap. 2. sect. 2.

Ex veriori ratione debitis obstrictus (saltem licite) non potest donare, si donando impotem se reddit ad debita solvenda: quare peccat donatarius; quia positive cooperatur injustæ actioni donantis.

(*s*) [*art.829.et sequent.*]

(*101*) Si plus est donatum, reducitur ad portionem disponibilem [*art.837.*]

(*S*) Jure romano nulla erat quoad excessum donatio inter vivos ultra quingentos solidos, si facta erat absque *insinuatione*, *§. 2. Instit. de donation. et l. 36. C. eod. tit.* Insinuatio erat relatio donationis in acta publica. Insinuatione vero opus non erat 1.° si princeps donabat, vel principi donabatur, vel ad causas pias, *l. 34. pr. C. eod.* 2. si fiebat donatio ad captivos redimendos, aut militibus a duce ob rem bene gestam, aut ad ædium incendio vel ruina consumtarum refectionem, *cit. l. 36. pr. §. 1. et 2.* Sic etiam valida erat sine insinuatione, si erat juramento confirmata, aut erat remuneratoria, vel erat inter principes romani imperii.

Sic quoque juxta plurimos etiam cum insinuatione nulla erat donatio inter vivos omnium bonorum (quamvis contrarium esset statutum in l. 35. §. 4. C. de donationibus). Excipe 1. si erat ad causas pias; dummodo non erat inofficiosa, vel ex legitima potestate aliquid non erat decerptum ad inopiam conjunctorum donatoris sublevandam: 2. si juramento firmabatur: 3. si donator aliquid aliud præter alimenta necessaria sibi reservabat: 4. cum erat facta ratione alterius contractus onerosi, puta causa contrahendi matrimonium cum filia donatoris etc.

De legitima dicetur in VI. append. sect. III.

307. Quinam possunt donatione accipere?

Omnes, qui non sunt a jure incapaces declarati (*t*).

308. Quinam jure sunt incapaces?

Sunt 1. non adhuc concepti tempore donationis, si est inter vivos, vel tempore mortis testatoris, si donatio est per testamentum: et qui nascuntur non vitales (*u*). 2. Filii naturales non possunt a patre (a matre vero possunt) aliquid accipere ultra id, quod successione conceditur illis (*x*). 3. Medici, chirurgi, sanitatis officiales, pharmacopolæ, qui defunctum curavere, advocati qui consuluerunt aut direxerunt testamentum, Ecclesiastici in ultima infirmitate defuncto assistentes, omnes isti nullam possunt accipere donationem, sive inter vivos, sive per testamentum, eis factam durante tempore dictæ ultimæ infirmitatis: excipitur tamen 1. donatio remuneratoria facta titulo peculiari, habita ratione bonorum disponentis, et famulatus atque assistentiæ ei præstitæ: 2. si sint propinqui usque ad quartum gradum inclusive, dummodo defunctus nullum habeat hæredem in linea recta, aut, si tales adsint hæredes, donatarius in eorum sit numero (*y 102*).

309. Suntne validæ donationes inter conjuges?

Donationes factæ in contractu matrimonii permittuntur a jure, sive sint reciprocæ, sive non. Item permittuntur durante matrimonio: sed sunt revocabiles, quamvis irrevocabiles sint declaratæ; et si hujusmodi donationes sunt reciprocæ, nequeunt fieri uno eodemque actu (*z 103 T*).

(*t*) [*art.818.*] (*u*) [*art.822.*] (*x*) [*art.824.*] (*y*) [*art.825.*]

(*102*) Præterea incapaces sunt ii, de quibus dictum est in 1. parte hujus tract. cap. 2. sect. 2.

Ut valida sit donatio facta pauperibus alicujus communis, publicis hospitiis, communitatibus etc. requiritur Regis decretum [*art.826.*]

(*z*) [*art.1046.et sequent.*]

(*103*) At si adsint filii ex antecedenti matrimonio, conjux nequit novo conjugi plus donare quota illius filii legitimi, qui minus accipiet [*art.1052.*]

(*T*) Lege romana non valebant donationes inter conjuges factæ durante matrimonio, *l. 1. et 2. D. de donat. inter virum et uxorem.* Erant tamen validæ, 1. si testamento confirmabantur, *l. 9. §. 2. l. 10. et l. 11. pr. et §. 1. ac alibi D. eod. tit.* 2. Si non revocabantur, dummodo res erat tradita, *cit. ll. 10. et 11.* 3. Si ex donatione donatarius non fiebat locupletior, etsi donator fiebat pauperior donando, *l. 5. §. 16. D. eod.* 4. Si ab uxore erant viro factæ ad dignitatem assequendam, aut ad proficiscendum ad bellum, aut ad litteras addiscendas, *l. 41. et 42. D. eod.* 5. Si erant inter conjuges

310. *Valetne donatio facta filiis ?*

Maxime; nec de ista facienda est collatio in divisione hæreditatis, dummodo expresse sit facta titulo antepartis, seu prælegati. (*a U*).

311. *Requiriturne acceptatio pro valore donationis ?*

Maxime (*b 104*); non enim invitis beneficia conferuntur.

312. *Quanam legali forma facienda est donatio ?*

Donatio inter vivos stipulanda est coram Notario forma ordinaria aliorum contractuum, autographo remanente apud ipsum

---

principes, *l. penult. C. eod.* 6. Si vir donabat, quia augebatur dos, aut per donationem acceptam vir remittebat uxori dotem promissam, *l. 19. C. de donat. ante nupt.* Sic etiam per Theologos validæ erant, cum juramento firmabantur; aut erant remuneratoriæ; aut erant reciprocæ, et una alteram non excedebat; aut erant parvi momenti; vel factæ ad tollendam inæqualitatem.

(*a*) [*art.834.et835.*]

(*U*) Jure romano nulla erat donatio a patre facta filio; filius enim una censebatur cum patre persona, *l. 1. §. 1. D. pro donato l. 11. C. de donation.* et *l. 2. C. de inoffic. donat.* At valida erat 1. si filius erat emancipatus, *l. 30. §. 2. D. de donat. et l. 11. cit. C.* 2. Si facta erat causa dotis, vel matrimonii, vel remunerationis, *ex variis ll.* et idem dicendum, si facta erat ob professionem religiosam filii, vel ad ejus patrimonium sacrum constituendum. 3. Si erat facta causa militiæ, *l. 11. D. de castr. pecul.* aut prosequendi studium, *ex l. 15. C. de negot. gest. et alibi.* 4. Si in morte patris erat confirmata, etiam solo silentio, idest non erat revocata. 5. Si filius erat naturalis. 6. Si pater filio donabat usumfructum bonorum adventitiorum, *ex variis ll.* Item dicenda erat valida, si erat juramento firmata, aut erat parvi momenti. Post mortem patris tenebatur filius donatum redigere in partem suæ hereditatis, si donatio erat causa dotis, vel propter nuptias, aut erat valida douatio, quia filius erat emancipatus, *l. 17. C. de collation. aliubique.* Sicuti etiam si erat caussa patrimonii sacri, aut professionis religiosæ; non vero si erat ob aliam caussam, dummodo aliud non erat a patre expressum.

(*b*) *L.* Absenti *10. D. de donation.* [*art.856.*]

(*104*) Quisque potest acceptare per se, vel per procuratorem specialem; uxorata non potest acceptare sine consensu viri, vel judicis auctoritate, viro dissentiente: pro minore non emancipato, et pro interdicto acceptat tutor, prævia approbatione consilii-familias: minor emancipatus acceptare debet cum assistentia sui curatoris: at parentes, vel alii ascendentes acceptare possunt pro minore, sive sit emancipatus, sive non; surdus et mutus sciens scribere potest ipsemet, vel per procuratorem acceptare; et si scribere nesciat, per curatorem specialem nominatum: pro hospitiis publicis, pauperibus alicujus communis, communitatibus etc. acceptant earum administratores debita auctoritate obtenta [*art.857.et sequent.*]

Acceptatio fieri potest, durante vita donatoris [*art.856.*] modo non sit revocata.

Hic applicantur quæ dicta sunt de acceptatione promissionis a num. 231. ad num. 235.

Notarium (c): donatio per testamentum testamentaria forma est facienda.

313. Requiriturne traditio ad transferendum dominium rei donatæ?

Minime, sed sufficit solus partium consensus debitis formis datus (d).

314. An possit aliquando donatio inter vivos revocari?

Maxime, et quidem aut ob conditiones non adimpletas, quibus facta fuit donatio, aut ob ingratitudinem donatarii, aut ob prolem postea susceptam (e).

315. Quando habetur ingratitudo donatarii ad donationem revocandam capax?

In sequentibus casibus: 1. si donatarius vitæ periculum donanti creaverit: 2. si donatarius adversus donantem commiserit sævitias, delicta, aut graves injurias: 3. si ei alimenta neget (f 105).

316. Quantum temporis spatium donatori conceditur ad querimoniam instituendam contra donatarium ingratum?

Conceditur annus a die scientiæ commissæ ingratitudinis (g).

317. Potestne donator querimoniam instituere contra hæredes donatarii ingrati?

Nequaquam (h); quia delictum defuncti ad ejus hæredes non transit.

318. An possint hæredes donatoris querimoniam instituere contra donatarium ingratum?

Minime, cum sit jus personale cum persona expirans. Excipitur tamen, si donator jam actionem proposuerit, aut mortuus sit intra annum commissi delicti (i).

319. Possuntne donationes revocari ob prolem postea susceptam?

Maxime, immo sunt *ipso jure* revocatæ, qualescunque ipsæ sint, sive universales, sive particulares, sive reciprocæ, sive remuneratoriæ, sive intuitu matrimonii factæ (excipitur si sint fa-

---

(c) [*art.855.*] (d) [*art.862.*] (e) *Ex var. canon. et ll. rom.* [*art.878.*]

(f) *Ex var. utriusq. jur. loc.* [*art.880.*]

(105) Donationes causa matrimonii revocari nequeunt ob ingratitudinem donatarii, *l. 24. C. de jure dotium, alibique* [*art.884.*]

(g) [*art.882.*] (h) [*art.cit.*]

(i) *Cap. Propter 10. de donation. l. Generaliter ult. C. de revocand. donat. l. Injuriarum 13. pr. D. de injuriis etc. alibique* [*art.cit.*]

ctæ ab ipsis conjugibus, vel ab eorum ascendentibus), sive filius jam erat conceptus tempore donationis, aut est filius naturalis post donationem natus, et per subsequens matrimonium legitimatus, et quamvis donator quacumque conventione vel clausula hujusmodi revocationis juri renuntiaverit (*k 106*).

320. An donatarius extrajudicialiter teneatur in uno de casibus expressis rem restituere sibi donatam?

In casu conditionum non adimpletarum, et in casu commissæ ingratitudinis non tenetur; nam ob istas causas non est *ipso jure* revocata donatio, sed datur actio ad revocationem petendam (*l*): ob prolem postea susceptam tenetur; jus enim revocat et omnino abolet donationem factam.

(*k*) ***Pragmatici ex l.*** Si unquam *8.C. de revocand. donation.* [*art.885.et sequent.*]

(*106*) Ob prolem postea susceptam non revocantur donationes inter conjuges [*art.1050.*]

(*l*) [*art.881.et 882.*]

INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM etc.

QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE COMPLECTUNTUR.

TRACTATUS VI.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PARS I.

DE FIDE.

PARS II.

DE SPE.

PARS III.

DE CHARITATE.

TRACTATUS VII.

DE RELIGIONE.

TRACTATUS VIII.

DE RESTITUTIONE.

TRACTATUS IX.

DE CONTRACTIBUS.

PARS I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

PARS II.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.